CONSTITUTIONES FRATRUM EREMITARUM DISCALCEATORUM

ORDINIS

SANCTI P. AUGUSTINI CONGREGATIONIS GALLIARUM.





LUGDUNI,
Ex Typographia Viduæ CL. RIGAUD, & Filiorum eius, in vico Mercatorio, ſub ſigno Fortunæ.

AN. M. DC. XLII.




IN NOMINE DOMINI NOSTRI IESV-CHRISTI, AMEN.

INCIPIT REGVLA sancti Patris nostri AVGVSTINI *Episcopi, & Ecclesiæ Doctoris.*

CAPVT I.

De Amore Dei, & Proximi.



NTE omnia (Fratres charissimi) diligatur Deus, deinde proximus: quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.

Hæc igitur sunt, quæ vt obseruetis præcipimus in Monasterio constituti.

Primùm, propter quod in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in domo Domini, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.

Et non dicatis aliquid proprium: ſed ſint vobis omnia communia.

Et diſtribuatur vnicuique veſtrum à Præpoſito veſtro, victus, & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius vnicuique, ſicut cuique opus fuerit.

Sic enim legitis in actibus Apoſtolorum: quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur vnicuique, ſicut cuique opus erat.

Qui aliquid habebant in ſæculo, quando ingreſſi ſunt Monaſterium, libenter velint illud eſſe commune.

Qui autem non habebant, non ea quærant in Monaſterio, quæ nec foris habere potuerunt.

Sed tamen eorum infirmitati, quod opus eſt tribuatur: etiamſi paupertas illorum, quando foris erant nec ipſa neceſſaria poterat inuenire.

CAPVT II.

De Humilitate.

TAmen, non ideò ſe putent eſſe fœlices, quia inuenerunt victum, & tegumentum, quale foris inuenire non poterant.

Nec erigant ceruicem, quia ſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant.

Sed ſurſum cor habeant, & terrena, ac vana non quærant: ne incipiant eſſe Monaſteria diuitibus

tibus vtilia non pauperibus, si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

Rursus etiam illi qui aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio Fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt: magis autem studeant, non de parentum diuitum dignitate: sed de pauperum Fratrum societate gloriari.

Nec extollantur si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerint: Nec de suis diuitiis magis superbiant, quia eas Monasterio partiuntur, quàm si eis in sæculo fruerentur.

Alia quippè quæcumque iniquitas, in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant.

Et quid prodest dispergere, dando pauperibus, & pauperem fieri; cùm anima misera superbior efficitur, diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo?

Omnes ergo vnanimiter, & concorditer viuite: & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis.

CAPVT III.

De Oratione, & Ieiunio.

ORationibus instate, horis, & temporibus constitutis: In Oratorio, nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est vnde & nomen accepit.

Vt si fortè aliqui, etiam præter horas consti-

tutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento qui ibi aliquid agendum putauerint.

Psalmis, & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.

Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, vt cantetur, non cantetur.

Carnem vestram domate ieiuniis & abstinentia escæ & potus, quantum valetudo permittit.

Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij, aliquid alimentorum sumat, nisi cùm ægrotat.

CAPVT IV.

De refectione Mentis, & Corporis.

CVm acceditis ad mensam, donec inde surgatis: quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite. Nec solæ vocis fauces sumant cibum sed & aures esuriant Dei verbum.

Qui infirmi sunt, ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet aliis molestum esse, nec iniustum videri eis, quos fecit aliquam consuetudo fortiores: Nec illos fœliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Et si eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus

ribus ad Monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorum datur, quod aliis fortioribus, & ideò fœlicioribus non datur: Cogitare debent, quibus non datur; quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint: quamuis vsque ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire nequiuerint.

Nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere. Ne contigat detestanda peruersitas: vt in Monasterio, vbi quantum possunt fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati.

Capvt V.

De cura infirmorum.

SAnè quemadmodum ægrotantes, necesse habent minus accipere, ne grauentur: ita & post ægritudinem, sic tractandi sunt vt citiùs recreentur: Etiamsi de humillima sæculi paupertate venerint: tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus, anterior consuetudo.

Sed cùm vires pristinas reparauerint: redeant ad fœliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei, tantò amplius decet, quantò minus indigent: Nec cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos.

Illos æstiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: melius est enim minus egere, quàm plus habere.

CAPVT VI.

De exteriore, & interiore habitu.

NOn ſit notabilis habitus veſter; nec affectetis veſtibus placere: ſed moribus.

Quando proceditis, ſimul ambulate: cùm veneritis quò itis, ſimul ſtate.

In inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus veſtris, nihil fiat quod cuiuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.

Oculi veſtri, Et ſi iaciantur in aliquam fœminarum, & figantur in nullam: Neque enim, quando proceditis, fœminas videre prohibemini; ſed appetere, aut ab ipſis appeti velle, criminoſum eſt.

Nec ſolo tactu, ſed affectu, & aſpectu quoque appetitur: & appetit concupiſcentia fœminarum.

Nec dicatis, vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius. Et cùm ſe inuicem ſibimet (etiam tacente lingua) conſpectu mutuo corda nunciant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus.

Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & illius in ſeipſum diligit fixum, ab aliis ſe non videri cùm hoc fecerit, videtur omninò, & à quibus ſe videri non arbitratur.

Sed etſi lateat, & à nemine hominum videatur: quid

quid faciet de illo desuper inspectore quem latere nihil potest ? An ideò putandus est non videre: quia tantò videt sapientius, quantò patientius.

Illi ergò vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ, malè placere.

Illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre.

Illius namque & in hac causa commendandus est timor, vbi scriptum est; abominatio est Domino defigens oculum.

Quando ergò simul estis in Ecclesia, & vbicumque fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite: Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

CAPVT VII.

De correctione Fraterna.

ET si hanc, de qua loquor vobis, oculi petulantiam in aliquo vestrûm aduerteritis; statim admonete ne cœptâ progrediantur : sed de proximo corrigantur.

Si autem & post admonitionem iterum, vel alio quocumque die, idipsum eum facere videritis : iam velut vulneratum sanandum prodat quicumque hoc potuerit inuenire.

Priùs tamen est alteri; vel tertio demonstrandum, vt duorum, vel trium possit ore conuinci, & competenti seueritate coërceri.

Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc

indicatis : magis quippe innocentes non eſtis, ſi Fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis.

Si enim Frater tuus, vulnus haberet in corpore quod vellet occultari, cùm timeret ſecari : nonne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur ? Quantò ergo potius debes manifeſtare, ne deterius putreſcat in corde?

Sed antequam aliis demonſtretur, per quos conuincendus eſt : ſi negauerit. Priùs Præpoſito debet oſtendi, ſi admonitus neglexerit corrigi : ne fortè poſſit ſecretiùs correptus non innoteſcere cæteris.

Si autem negauerit : tunc neganti adhibendi ſunt alij, vt iam coram omnibus poſſit, non ab vno teſte argui : ſed à duobus, vel tribus conuinci : Conuictus verò, ſecundum Præpoſiti, vel etiam Presbyteri (ad cuius diſpenſationem pertinet arbitrium,) debet emendatoriam ſubire vindictam.

Quam ſi ferre recuſauerit (etiamſi ipſe non abſceſſerit) de veſtra ſocietate proiiciatur : Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat.

Et hoc quod dixi de oculo non figendo : etiam in cæteris inueniendis, prohibendis indicandis, conuincendis, vendicandiſque peccatis, diligenter & fideliter obſeruetur : cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

Quicunque autem in tantum progreſſus fuerit malum ; vt occultè ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat : ſi hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo : ſi autem deprehenditur

prehenditur atque conuincitur, ſecundum arbitrium Presbyteri, vel præpoſiti grauiùs emendetur.

Capvt VIII.

De Communitate rerum & Cuſtodia.

VEſtes veſtras in vnum habeatis, ſub vno cuſtode, vel duobus, vel quot ſufficere potuerint, ad eas excutiendas: ne à tinea lædantur.

Et ſicut paſcimini ex vno cellario: ſic induamini ex vno veſtiario.

Et ſi fieri poteſt, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, vtrum hoc recipiat vnuſquiſque quod depoſuerat; an aliud quod alter habuerat; dum tamen vnicuique prout cuique opus eſt, non negetur.

Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, & conqueritur aliquis, deterius ſe accepiſſe, quàm priùs habuerat; & indignum ſe eſſe qui non ita veſtiatur, ſicut alius Fratres veſtitur: hinc vos probate, quantum vobis deſit in illo ſancto interiore habitu cordis: qui pro habitu corporis litigatis.

Tamen ſi ſic veſtra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis quod poſueratis: in vno tamen loco, ſub communibus cuſtodibus, habete quod ponitis.

Ita ſanè, vt nullus ſibi aliquid operetur: ſed omnia opera veſtra in vnum fiant, maiori ſtudio

& frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis faceretis propria.

Charitas enim, de qua scriptum est, quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur: quia communia propriis, non propria communibus anteponit.

Et ideò quantò plus rem communem, quàm propria vestra curaueritis, tantò vos amplius profecisse noueritis: vt in omnibus, quibus vtitur transitura necessitas, superemineat, quæ permanet, Charitas.

Consequens ergo est, vt si quis filiis suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necessarium fuerit præbeantur.

Quod si aliquis, rem sibi collatum cælauerit, furti iudicio condemnetur.

CAPVT IX.

De munditia vestium, & lauacro infirmorum.

INdumenta vestra secundum arbitrium Præpositi, lauentur, siue à vobis, siue à fullonibus: Ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

Lauacrum etiam corporis (cum infirmitatis necessitas

necessitas cogit) minimè denegetur: fiat tamen siue murmure de consilio medici: ita vt etiam si nolit, iubente Præposito, faciat quod faciendum est pro salute.

Si autem velit, & fortè non expedit, suæ cupiditati non obediatur: aliquando enim, etiamsi noceat, prodesse tamen creditur quod delectat.

Denique si latens est dolor in corpore famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen vtrum sanando illi dolori, quod delectat expediat, si non est certum, medicus consulatur.

Nec eant ad balnea, siue quocúmque ire necesse fuerit, minus quam duo, vel tres. Et ille qui habet aliquò eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit ire debebit.

Ægrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum siue aliqua imbecillitate, siue etiam febribus laborantium, vni alicui debet iniungi; vt ipse de cellario petat, quod cuique opus esse perspexerit.

Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui Codicibus præponuntur: sine murmure seruiant Fratribus suis.

Codices certâ horâ, singulis diebus petantur, extra horam qui petierit, non accipiat.

Vestimenta verò, & calceamenta, quando indigentibus fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

CAPVT

CAPVT X.

De veniæ petitione, & offensæ remissione.

Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca & animam faciat homicidam, sic enim legitis: qui odit Fratrem suum homicida est.

Quicumque conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu aliquem læserit, meminerit satisfactione, quantociùs curare quod fecit. Et ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere.

Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras quas vtique; quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis.

Melior est enim, qui quamuis ira sæpè tentatur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur.

Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit: sine causa est in Monasterio, etiamsi inde non proiiciatur.

Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro non pigeat ex ipso ore pro ferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.

Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coërcendis, dicere vos verba dura compellit: si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur vt à vobis subditis, veniam postuleris,

letis, ne apud eos quos oportet esse subjectos, dum nimiùm seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas.

Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino qui nouit etiam eos, quos plus iusto fortè corripitis, quanto beneuolentia diligatis.

Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos, debet esse dilectio.

Capvt XI.

De obedientia.

PRæposito tanquam patri obediatur: multò magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit.

Vt ergo cuncta ista seruentur: & si quid seruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur: sed vt emendandum, corrigendumque curetur: ad Præpositum præcipuè pertinebit, vt ad Presbyterum (cuius est apud vos maior auctoritas) referat quod modum, vel vires eius excedit.

Ipse verò qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem.

Honore coram vobis Prælatus sit: timore coram Deo substratus sit pedibus vestris.

Circa omnes, seipsum bonorum præbeat exemplum. Corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes.

Disciplinam libens habeat, metuendus imponat: Et quamuis vtrúmque sit necessarium: tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri: semper

cogitans

cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem.

Vndè vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius misceremini, qui inter vos quanto in loco Superiore, tanto in periculo maiori versatur.

CAPVT XII.

De fine, & frequenti lectione huius Regulæ.

DOnet Dominus vt obseruetis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatores: & bono Christi odore, de bona conuersatione fragrantes non sicut serui sub lege: sed sicut liberi sub gratia constituti.

Vt autem vos in hoc libello, tanquam in speculo possitis inspicere: ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur.


Et vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt facientes, agite gratias Domino, bonorum omnium largitori.

Vbi autem sibi quicumque vestrûm videt aliquid deesse: doleat de præterito; caueat de futuro: orans vt & debitum sibi dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

Finis Regulæ.

Quicumque hanc Regulam sequuti fuerint, pax super illos. *Galat. 6.*

VRBA



VRBANVS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.



IVINÆ Majeſtatis prouidentia ad ſummi Apoſtolatus faſtigium euecti ſuper vniuerſos Orbis regulares Ordines, & in eis voto religionis adſtrictos noſtræ dirigentes conſiderationis intuitum ad ea per quæ regularis vitæ, inſtitutio olim à ſanctis viris piè & religiosè inuenta & conſtituta temporum lapſu ſeſe remittente religioſorum deuotione relaxata & aliquatenus deformata reſtrictionem, & reformationem ſuſcipiat, & in priſtinum refloreſcat ſtatum, propenſis ſtudiis intendimus, & quæ pro illorum fœlici ſtatu & directione facta fuiſſe ſolerti indagine comperimus, vt firma & illibata perdurent Apoſtolico præſidio fauorabiliter communimus & alias deſuper diſponimus, provt in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filij Hyacinthi à ſancta Margarita, Procuratoris generalis in Romana Curia fratrum Eremitarum reformatorum diſcalceatorum nuncupatorum ordinis ſancti Auguſtini, Congregationis Galliarum, &

Viſita

Visitatoris Generalis, eiusdem Congregationis petitio continebat quod dicta Congregatio quæ in Prouincias antea distincta non erat diuersas litteras Apostolicas, obtinuit, vnas videlicet pro eius Confirmatione, & in suo huiusmodi statu directione & manutentione datas Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, die vigesima prima Iulij, anni Domini 1628. crescente verò eius Fratrum & Conuentuum in pluribus Galliæ partibus numero per alias litteras datas die xxviij. Martij, anni eiusdem Domini 1635. in tres Prouincias diuisa fuit, & in ea Capitula Prouincialia, & per consequens aliud gubernij genus applica auctoritate Statuta & ordinata fuerũt vnde cum dicti Fratres eorum Statuta, & Constitutiones ad noui huiusmodi stabilimẽti formam reducere cogerentur licentiam antiqua eorum statuta & ordinationes, necnõ ceremoniale ad meliorem formam reducendi per alias nostras litteras datas die 27. Aprilis, anni eiusdem Domini 1637. obtinuerunt, provt in singulis litteris præfatis in simili forma breuis expeditis plenius continetur, cuius licentiæ vigore multa in præfatis litteris, & aliis hic non expressis contenta nouo huiusmodi viuendi generi, & stabilimento non conuenientia mutare, & alia iam exequutioni mandata, aut pro tunc inutilia intermittere, cætera verò & necessaria ex illis deprompta hic suo loco inserere coacti fuerunt & illa in capita & paragraphos distincta in hanc completam formam redegerunt.

PARS



PARS PRIMA.

DE TRIBVS VOTIS, & aliis ad mores pertinentibus.

CAPVT I.

De receptione Nouitiorum.

§. I.



VANDO quidem iubet Pater Augustinus in regula, vt in vnum Congregati vnanimes habitemus in domo Domini æquum ſanè eſt vt, & habitemus Vniformes, & ſicut nobis vna in eſſe debet anima, ita & vna à nobis obſeruetur viuendi ratio, & hæc eſt quæ præſentibus, ac ſubſequentibus ſtatutis deſignabitur. Ac primum cum ad regularem diſciplinam in ſingulis religioſorum monaſteriis propagandam nouitiorum electio ſit maximè neceſſaria, & nihil ad grauem illam, ac laudatiſſimam priſcorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuiſſe compertum ſit quam nimiam in Nouitiis recipiendis facilitatem, vel negligentiam in examinando, &

& probando eorum ſpiritu an ex Deo ſit. Idcirco, vt huiuſmodi incommodo in Congregatione noſtra occurratur in Nouitiorum delectu maxima prudentia vtendum eſt, nec tam eorum conſolationi quam Congregationis vtilitati conſulendum.

§. 2.

Quapropter ſtatuimus in primis, vt recipiantur Nouitij ſub qualitate clericorum, conuerſorum, vel commiſſorum, recipiantur autem regulariter, & approbentur per vota ſecreta indiffinitoriis, Capituli Generalis, Prouincialis vel intermedij, & extra illa poſt licentiam Vicarij Generalis, aut Prouincialis in ſcriptis obtentam à Conuẽtualibus vocalium Capitulis in quibus ſicut, & in primis ſi recipiendi mediam tantum partem ſuffragiorum habuerint reprobati cenſeantur, nec prius approbentur, Imo nec proponantur niſi præuia ſufficienti notitia de ſpiritu, & vocatione eorum, de vita anteacta, moribus ætate, patria, & parentibus, & quod nullis detineantur impedimentis quibus iuxta ſacros Canones ſummorum Pontificum Decreta, & ſubſequentes Conſtitutiones noſtras ad Religionem præcluditur aditus.

§. 3.

Ætas eorum qui recipientur ſi ſint choro deputandi ſint ad minus quindecim annorum, ita vt anno probationis elapſo, & XVI. anno completo, profeſſionem emittere poſſint, ætas conuerſorum itidemque commiſſorum ſit annorum viginti, Nullus autem Conuerſus, vel Commiſſus poſt trigeſimum ſextum, ætatis ſuæ annum

num admittatur nisi de consensu definitorij Capituli Prouincialis.

§. 4.

Ad religionem accedentes passim, & statim non recipiantur, sed prius aliquoties à priore, Magistro nouitiorum, & alio aliquo Patre ad hoc deputato, priuatis colloquiis explorentur in ipsis vocationis motiua, iudicium, indoles, mens, docilitas, valetudo corporis & membrorum sanitas, quod si post hæc ad bonum propensi, & ad Religionis labores ferendos idonei facile Credantur; Prior Congregatis Capitulariter omnibus vocalibus signo solito & representata eis præsentis conuocationis causa coram ipsis secularem recipiendum aduocabit, ipsum de statu & fine religionis breuiter admonebit: eique publicè per se, vel per alium prælegget, & explicabit impedimenta sequenti paragrapho subnotata.

§. 5.

Nullus in nostra Congregatione recipiatur quin sine dubio sit bonus, & Confirmatus Christianus, atque catholicus. Nullus qui aliquando morbo comitiali, vel contagioso, aut quouis alio incurabili, siue etiam aliquo iudicij defectu laborauerit, nec qui aliqua notabili corporis deformitate sit signatus. Nullus etiam admittatur criminosus, exul, vel ob delictum publicum merito difamatus, ære alieno in notabili quantitate, & supra facultatum suarum vires oppressus, aut rationi reddendæ obnoxius. Nullus qui ad pauperum parentum sustentationem sit obligatus, aut matrimonio consummato ligatus. Nullus quoque recepi possit illegitimus, &

ad hoc teneatur quilibet nouitius ante ingressum vel professionem suam exhibere baptismi fidem, vt in libro ad hoc deputato registretur.

§. 6.

Si quis verò post susceptionem habitus aliquo prædictorum impedimentorum detineri deprehensus fuerit, illico ex nostra congregatione expellatur tanquam ad profitendum inhabilis, imo, & si professus iam fuerit expellatur à Capitulo generali cum eius professio sub fraude, & dolo fuerit acceptata, & Vicarius Generalis, Prouincialis, aut quilibet alter superior qui vel aliquem cum impedimentis supradictis, aut infra dicendis paragrapho 8. scienter receperit, vel etiam ignorantes receptum post cognitum impedimentum tempore nouitiatus non eiecerit ab officio deponatur, & de cætero maneat inhabilis ad omnia officia in posterum obtinenda donec cum ipso per Capitulum Generale fuerit dispensatum.

§. 7.

Si audito hoc præcedenti paragrapho responderit postulans se nullo omnino impedimento detineri illud coram capitularibus iureiurando confirmabit, eique intimabitur eiicendum fore quandocumque de aliquo prædictorum contrarium constiterit, & si quidem fuerit clericus, prætereà præsentabitur ei à superiore, vel ab examinatoribus legendum, & lingua vulgari exponendum caput aliquod Latinum, Bibliæ sacræ, aut quid simile, cum ampliori ibidem (si opus fuerit) examine; vt de eius scientia, & capacitate ad sacros ordines suo tempore recipiendos omnibus

tibus vocalibus pateat, & de hoc examine non fiet per examinatores alter actus à generali approbatione distinctus, si autem recipiendus conuersus fuerit illi etiam hoc loco insinuabitur quod nunquam poterit ad statum Clericalem promoueri, neque nouitiatus tempore, neque post professionem emissam, neque si fuerit commissus ad statum Conuersi.

§. 8.

Qui aliquando ex nostra vel aliena Religione, aut Congregatione ante professionem suam recesserit in solo Capitulo Prouinciali recipi possit; qui verò fuerit in altera Religione, aut Congregatione professus vix admittatur ad Congregationem nostram; & non nisi de solo, & vnanimi consensu patrum definitorij generalis.

§. 9.

Ob nimiam Congregationis paupertatem Nouitius sibi comparet vestes, & vtensilia personalia consueta nisi ob singulares alicuius dotes, & ob impossibilitatem vellet Prouincialis vna cum Capitulo Conuentuali cum aliquo dispensare.

§. 10.

Si extra Conuentum Nouitiatus de licentia Vicarij Generalis, vel Prouincialis aliquis habitu nostro induatur (quod tamen rarissime fiet,) intra primum mensem à receptione habitus ad Nouitiatus Monasterium transmittatur vna cum vestimentis secularibus, cæterisque ipsi necessariis, quod & similiter obseruetur, quotiescumque Nouitium aliquem de vno Conuentu

in alium transmittere vrgens necessitas expostulabit.

§. 11.

Qui recipientur in Conuentu Nouitiatus approbati, vt supra per dies aliquot, si priori videbitur; non tamen vltra quindecim, admittantur ad communes Nouitiorum exercitationes vt noscant Religionis asperitates, & eorum constantia experimento comprobetur.

§. 12.

In Collatione habitus obseruetur ritus consuetus & conferens mutabit recipiendis nomen proprium, & cognomen, quibus in sæculo vtebantur imponendo illis nomen alterius alicuius Sancti, & pro cognomine Sanctæ, vel Sancti, & in hoc maxime cauebit prior ne Nouitij cum aliis prouinciæ fratribus in nomine proprio conueniant, vt quantum fieri poterit tollatur æquiuocatio.

§. 13.

Denique vestimenta eorum secularia, & alia quæ secum portauerint tempore Nouitiatus non necessaria sub claue conseruabuntur in loco tuto vsque ad professionem factam, & si emptis vtensilibus necessariis pecunias aliquas permodum depositi conuentui remiserint. Inhibetur Superioribus quibuscumque vt eis sub quouis prætextu vtantur, sub pœna priuationis officiorum. Nouitij vero tam pecuniarum huiusmodi quam vestium secularium, librorum, & aliorum quæ secum tulerint, dent Magistro Nouitiorum memoriale manu propria conscriptum, vel aliena si scribere nesciuerint.

§. 14.

Magister Nouitiorum statim notabit in libro ad hoc deputato annum, mensem, diem, & horam quibus ipsi habitum nostrum susceperint, cum ipsorum ætate, patria, parentibus, nomine, & cognomine tum eo quo vtebantur in sæculo, tum eo quod ipsis de nouo impositum est.

§. 15.

Ne autem ad habitum vel ad professionem admittantur inhabiles, Præcipimus per meritum salutaris obedientiæ ne nostri congregationis Religiosi cuiquã suffragentur, tam pro receptione habitus quam pro professione nisi quem teste conscientia aptum & idoneum esse cognouerint, ac prædictum qualitatibus hoc capite deductis, aliisque iuxta summorum Pontificum decreta necessariis vt autem præscriptum hoc facilius obseruetur, nec ignoranter ab vllo initio cuiuslibet ballotationis Nouitiorum vocalibus à Priore prælegatur.

CAPVT II.

De educatione Nouitiorum.

§. 1.

DEsignabuntur in vnaquaque Prouincia à Capitulo Prouinciali, aut intermedio Monasteria, vnum, vel plura pro numero Nouitiorum apta, & commoda, in quibus locus Nouitiatus ab altera conuentus parte sit se-

gregatus, & claue Clausus, ita vt nullus siue secularis, siue professus intrare, nec vllus Nouitius inde exire possit inscio priore, vel Nouitiorum Magistro. In eo autem iuxta decretum felicis recordationis Clementis VIII. præter alias commoditates sit locus aptus ad spirituales collationes, & exhortationes, & ad quem hyemis tempore (si fieri possit) ad calefaciendum se igne communi recipiant.

§. 2.

Subprior regulariter erit Magister Nouitiorum, qui eligetur vir saltem ætatis annorum triginta quinque iuxta cōstitutionem fœlicis recordationis Clemētis octaui mediocriter doctus, orationis & mortificationis operibus addictus, zelo, prudentia, mansuetudine, ac pietate insignis, & in omnibus vitam spiritualem, & statum religionis spectantibus sufficienter versatus, ad quem nouitij in dubiis, & in tentationibus confugere, & ab ipso consilium, solatium, & auxilium in domino sperare Valeant, & accipere quique eos, cum omni sanctimonia, & bona doctrina iuxta Congregationis statuta, & ceremonialia diligenter erudiat, & doceat. In primis benè; & fructuosè confiteri, & intra primum mensem à susceptione habitus per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutere & expurgare, & (si fieri possit) ante susceptionem habitus. Præterea Sacramenta, cum debita præparatione percipere vocaliter, & mentaliter orare, diuinum officium recitare, ab illusionibus & tentationibus dæmonum cauere, easque superioribus fideliter detegere,

gere, sensus suos tum externos, tum internos prudenter regere, animæ suæ passiones generosè moderari, & tam cum sæcularibus, quam cum fratribus religiosè conuersari, ita vt in omnibus potiores partes aliis deferant, & singulis honorem, & reuerentiam quam exigit cuiusque status cum simplicitate, & religiosa moderatione vbique exhibeant, libentius audiant, quam loquantur, nec ambulent extento collo, sed fixis in terram oculis, & manibus intra manicas inclusis, demum doceat eos omnium passionum, mortificationum, omniumque virtutum acquisitionem, & similia quibus in via Domini in dies progrediantur.

§ 3.

In hunc finem Magister Nouitiorum habebit circa ipsorum regimen, plenam, & absolutam potestatem iuxta decreta fel. record. Clementis octaui, ter in septimana audiet ipsorum culpas, & si quas ipsis ordinationes, aut pœnitentias iniunxerit, nullus poterit imò nec Prior eo inscio, & inconsulto tollere, minuere, vel mutare. Quod si Prior in causa maximè rationabili, aut in eius absentia aliquid mutandum iudicauerit, eum quantocitius admonebit, & cum eo hac de re conferet, vt quod vtilius fuerit determinetur.

§. 4.

Nouitij singulis feriis sextis ante prandium disciplinam apprehendant super nudas scapulas in obscuro extra refectorium durante Psalmo *Miserere*, & ibi adsit Magister Nouitiorum, aut submagister. In choro nunquam sedeant, nisi tempore lectionum, & martyrologij, pallium in-

tra conuentum non deferant, & ad differentiam professorum, donec professionem actualiter emiserint habeant particulam panni nigri quæ patientia nuncupatur, pendentem tam ex anteriori, quam posteriori parte capucij digitos quatuor subtus corrigiam, & latitudinis dimidij palmi.

§. 5.

Nouitiorum Magistro socius si per nouitiorum instruendorum multitudinem sit necessarius, vita & moribus, quoad fieri poterit consimilis, & ætate annorum tringinta iuxta constitutionem Clementis octaui, deputetur à Prouinciali, qui socius dictum Magistrum pro viribus adiuuabit, & Magister sæpè cum eo de Nouitiorum statu rem habebit, ita vt in ipsorum directione vna sit eorum mens & intentio.

§. 6.

Nec sufficiet curare, vt addiscant Nouitij quæ conueniunt, sed etiam vt exerceant quæ didiscerint. Fratres conuersi, & commissi specialiter in operibus manualibus exercitabuntur ab ipsorum Magistro, vel quouis alio fratre eiusdem vocationis professo, qui eos intra vel extra clausuram nouitiorum doceat omnia, quæ ad parsimoniam, & quotidianum nostrorum conuentuum ministerium attinent, & moneat continuò, vt in huiusmodi operibus manualibus, & externis, orationibus iaculatoriis Dei præsentiam facilè conseruantibus frequenter vtantur.

§. 7.

Non liceat Nouitiis litteris incumbere, sed tantum rerum spiritualium lectioni, & meditationi, extra conuentũ absque necessitate ineuitabili non

ion mittantur, neque intra illum, cum seculari-
bus loquantur, si tamen aliqua rationabilis causa aliter iusserit, id fiat breuiter, præsente semper, & audiente priore, vel eorum Magistro, aut alio Patre ad hoc per Priorem deputato, soli autem sæcularibus nunquam loquentur, nisi de vocalium consensu.

§. 8.

Nullus Religiosus professus sine licentia ipsos audeat alloqui, & ipsi & nouitij continuum inter silentium obseruare teneantur, nisi quando eorum Magister cum ipsis animi relaxandi gratia dispensauerit, & tunc quidem sine clamore loquantur, vt submissè loqui assuescant, quod si extra recreationem huiusmodi vrgens aliqua necessitas expostulet, vt inter se, vel cum quocumque professo loquantur, non fiet aliter quàm genibus flexis & de licentia Magistri.

§. 9.

Ipsi magistro,& socio nouitiorum confessiones audiendi cura committatur, dummodo ter ad minus in anno Prior hoc officium commitat vni vel pluribus ex grauioribus patribus sui conuentus (puta) saltem in paschate, in Natiuitate Domini & in Assumptione Beatæ Mariæ.

§. 10.

Prior ipsos inuiset quoties in Domino iudicauerit expedire, eo tamen casu aliquem semper ex senioribus conuentus vel monasterij patribus assumat socium, iuxta decretum Clementis octaui Culpas eorum singulis feriis sextis coram cæteris suis inferioribus capitulariter audiet, nihil tamen circa eos notabiliter disponet inscio eorum

magistro

magiſtro, cuius zelum & authoritatem ſemper, & vbique tuebitur.

§. 11.

Ter intra nouitiatus annũ ſinguli nouitij conuentuali vocalium capitulo proponantur, ſcilicet in fine menſis quarti, & octaui & circa medium duodecimi, ita vt in fine capituli immediate præcedentis ſurgat eorum magiſter, & intimet priori, & vocalibus, primam, ſecundam, & tertiam approbationem inſtare, quo facto prior in Capitulo ſubſequenti interrogabit magiſtrum nouitiorum, vel ſocium eius, & poſtea reliquos vocales, vt pro bono congregationis exponant liberè, quæ circa nouitium ballotandum nouerint diſcutienda; præcipuè autem magiſter nouitiorum, & ſocius de moribus eius ſiue pro eo, ſiue contra eum poſtpoſito odio, vel amore fidele teſtimonium reddere teneantur, Nouitius qui in ballotatione quarti menſis medietatem ſuffragiorum habuerit approbatus cenſeatur, in ſecunda vero, & tertia niſi vltra medietatem habuerit improbatus ſit.

§. 12.

Statuimus inſuper vt ante vltimam ballotationem prior in Capitulo immediate præcedenti ſucceſſiue, & disjunctim aduocet coram vocalibus omnes profeſſos non vocales cuiuſcumque conditionis ſint, vt ſi quis aliquod nouerit contra bonos mores, vel alios defectus nouitij ballotandi ibi fideliter referat; ac præterea prælegat vocalibus præceptum expreſſum in paragrapho vltimo capitis præcedentis immediate ante

ballo-

ballotationem hanc, & alias quaſcumque tempore de nouitio faciendas.

§. 13.

In approbandis, vel reprobandis nouitiis maius ſpirituale bonum ſemper minori, & publicum priuato præferendum eſt, ac in dubiis tutior pars eſt eligenda repellendo eum de quo probabilius timetur quod futurus ſit noxius Religioni quam profuturus.

§. 14.

Quod ſi etiam ante, vel poſt præfata tempora Nouitius, approbatus ita inhoneſte ſe geſſerit, vt profeſſione cenſeatur indignus ad inſtantiam prioris, vel magiſtri nouitiorum, ſiue etiam duorum, aut trium vocalium ſtatim iterum ballotetur, & ſi de eius emendatione non ſit ſpes probabilis eiiciatur.

§. 15.

Dum vero decretum fuerit, vt Nouitius aliquis habitu priuetur illico à nouitiorum conſortio, & & dormitorio ſeparetur, & prior ſic reprobatum conſoletur, eumque expellat tam modeſte, cautè, & occultè, vt ſi fieri poſſit ipſe, & parentes, eius ſine dedecore maneant, & bonum erga congregationem affectum non depōnant.

§. 16.

Magiſter nouitiorum hinc ſtatim ſcribet in libro ad hoc deputato præfatas approbationes, vel improbationes, cum anno, menſe, & die, poſt tertiã vero approbationem coram patribus nouitius aduocabitur, & ei iterum ſicut, & in receptione religionis impedimenta legentur, & inquiretur ab eo ſub præſtito iuramẽto an aliquo illorum

illorum teneatur, qui si adhuc responderit nullo se detineri, de sua ad professionem aprobatione moneatur, tum ad exercitia solitaria se disponat vt iubetur infra caput 11. §. quinto, tum vt de testamento (si opus est) faciendo prudenter recogitet, iuxta consilium euangelicum vel aliter prout sibi in Domino videbitur expedire, si vero hoc testamento libere, & prorsus nullo suadente aliquid ex bonis suis siue mobilibus siue immobilibus congregationi legauerit, legatum huiusmodi ad conuentum illius loci pertineat à quo Nouitius oriendus est, & si nullus ibi fuerit congregationis conuentus ad arbitrium capituli Prouincialis, aut intermedij illius prouinciæ pro necessitate aliorum conuentuum prouideatur.

CAPVT III.

De Professione, & nouis professis.

§. 1.

NOuitij elapso die, & anno à susceptione habitus omninò vel professionem solemnem emittant, vel ad sæculum remittãtur iuxta Consiliũ Tridentinum, eorũ autem professio fiat iuxta Breue Vrbani octaui sub datum vigesima octaua martij, millesimi sexentesimi trigesimi quinti. In ea vero modus, & forma seruetur, pro vt in libro Ceremoniarum congregationis disponitur.

§. 2.

Quia vero parum refert bene cæpisse, & in via

via Dei, non progredi retrogredi est summopere cauendum ne mores quos in probatione didiscerunt nouitij negligant seruare iam professi, quia quod in probatione impendebant pro libito nunc reddere teneantur ex voto, Quapropter vt huiusmodi noui professi cuiuscumque conditionis sint etiam sacerdotes melius in bono spirituali, & disciplinæ regularis obseruantia stabiliantur, & confirmentur, statuimus, vt saltem per aliquod tempus remaneant (si fieri possit in eodem, conuentu Nouitiatus, & sub eodem Magistro, cuius omibus lectionibus, & culparum capitulis vna cum nouitiis primo post professionem anno interesse tenebuntur: quod si Angustia conuentus non patiatur strictè præcipimus vt in capitulo Prouinciali, vel intermedio assignetur aliud Monasterium nouitiatui persimile vbi in dormitorio clauso, & ab antiquorum professorum habitatione, distincto commorentur sub directione, subprioris seu magistri nouitiorum, vt dicitur in tertia parte cap. 16. paragrapho secundo, hic autem lectiones spirituales & exhortationes ad eos aliquando habebit, & ipsos quocumque tempore si delinquentes aduerterit corrigere eisque pœnas leues, & medias imponere poterit, non tamen vnquam eorum culpas capitulariter audire, extra conuentum nouitiatus, nec intra illum nisi per primum à professione annum durante quo feria tantum sexta ibunt ad culpã prioris. Verum post primum illum à professione annum etiam in Conuentu nouitiatus, & extra illum quocumque tempore solis, & omnibus culpis prioris intererunt.

S. 3.

§. 3.

Stabunt in choro ante pulpitum, disciplinam singulis sextis feriis ante prandium more nouitiorum apprehendent, ibi semper adsit subprior, aut in eius absentia alter pater grauis à priore deputatus, nec vnquam superiores nisi flexis genibus alloquentur: expleto autem à professione triennio ab his omnibus liberi sint, excepto quod nisi fuerint sacerdotes vsque ad septennium inclusiué adhuc subprioris directioni, & iurisdictioni, & clausulæ subiicientur; si verò sacerdotes fuerint post hoc triennium etiam à subprioris iurisdictione sint exempti.

§. 4.

Et licet his omnibus non omnino interdicatur exitus è domo nec cum secularibus congressus, tamen quantum fieri poterit euitetur, nec possint indispensabiliter à quocumque promoueri ad studia Philosophiæ, vel Theologiæ, quæ totam animi attentionem exquirunt, nisi expleto post professionem primo anno in quo tamen poterunt vacare iuniores linguæ Latinæ, Græcè, vel Hebraïcè, prouectiores verò Historiæ Sacræ, vel Theologiæ mysticæ.

CAPVT IV.

De voto obedientiæ.

§. 1.

IVbet Pater Augustinus in regula, vt preposito obediatur tanquam patri ad differentiam scilicet obedientiæ seruilis, quæ ad oculum paret, non

non virtutis amore, sed formidine pœnæ; verus enim obediens non respicit cui, vel quam ob causam obedit, sed propter quem obedit Iesu-Christo dicente qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit, & qui pro nobis factus est obediens vsque ad mortem perdendo vitam ne perderet obedientiam. Idcirco post patris Augustini mandatum, & Christi consilium, & exemplum omnibus congregationis superioribus obediatur tamquam veris eiusdem Domini nostri Iesu Christi locum tenentibus, & patris Augustini successoribus legitimis.

§. 2.

Quia autem obedientia alia generalis, quæ debetur præsentibus statutis officium, vel actum aliquem, siue communem, siue particularem nobis imperantibus, alia particularis, quæ debetur superioribus aliquid pro bono regimine præcipientibus, admonemus fratres omnes pro maiori conscientiarum quiete, quod quæuis tum constitutionum, tum etiam superiorum mandata ad culpam non obligant, sed tantum ad pœnam, nisi in virtute Spiritus sancti, seu per meritum salutaris obedientiæ, & sub formali præcepto iniungantur, aut ad votorum essentiam pertineant, veri tamen obedientes omnia obseruare debent, ac si ad culpam mortalem obligarent.

§. 3.

Dum autem prior vel quilibet superior pro re aliqua graui intendit sibi subditum obligare ad aliquam obedientiam sub pœna peccati mortalis; id nunquam faciet præcipitanter, sed cum debita consideratione, & maturitate vtendo sequen-

tibus, vel similibus verbis, præcipio tibi, vel vobis in meritum salutaris obedientiæ, aut in virtute Spiritus sancti.

§. 4.

Quæ autem singulis nostræ Congregationis professis generaliter præcipiuntur in virtute Spiritus sancti, & per meritum salutaris obedientiæ tum ipso iure, tum per præsentia statuta, tum per summorum Pontificum decreta ad Capitula diuersa reduximus iuxta diuersitatem materiæ de qua est præceptum.

§. 5.

Si quis verò superbia ductus priori suo insolenter renuerit obedire, aut culpam suam post sufficientem probationem agnoscere, & religionis disciplinam subire noluerit. Prior talem intra propriam cellam includi præcipiat, & postea paterne ad eum mittat aliquos ex patribus, vel fratribus, qui eum piis sermonibus ad resipiscentiam charitatiuè inducant, si autem ipse sic admonitus, & per vingintiquatuor horas expectatus obstinato corde permanserit. Prior eum iubeat incarcerari, eique iniungat ieiunium in pane, & aqua feria secunda, quarta, & sexta, donec obedientiæ humiliter se submittat.

§. 6.

Vt autem inobedientiæ non solum particulares, sed & vniuersales multo deteriores euitentur præcipimus in virtute Spiritus sancti ne fratres iuramento, aut fide præstita colligationem, vel confœderationem faciant, quod sibi contra Superiores mutuò non deficiant in suis sustentationibus defensionibus, & aliis huiusmodi, quæ notam

am conspirationis ostendũt, nec de facto contra liquem prælatũ, vel subditum malitiosè conspient, aut signaturas recipiant, aut procurent, nec quouis alio modo sibi vltra authoritatis suæ limites ius vindicent sub pœnâ excommunicatiois ipso facto incurrendæ.

CAPVT V.

De voto paupertatis.

§. 1.

LIcèt ad exactam Euangelicæ paupertatis obseruantiam velimus vt nobis in quantum eri poterit incerta mendicitas victum præbeat, c vestitum. Quia tamen potest nostra religio x priuilegio sedis Apostolicæ nonobstante titulo endicitatis bona stabilia & fructifera in comuni legitimè possidere, vixque potest, obruari rigorosa mendicitas sine maximo disciplinæ regularis, & vitæ solitariæ detrimeno redditus annuales, siue perpetuos pro quobet conuentu licebit acceptare, verum fiet æc acceptatio à Capitulo Prouinciali, vel inermedio, si redditibus, & fundationibus huusmodi sit annexa obligatio aliqua notabiis, vel perpetua, aut excedens plusquam duoum annorum terminum, ac præterea obligatio, c fundatio huiusmodi acceptata ad diffinitorium Capituli generalis per discretum prouinciæ suo empore deferatur, vt ab eo confirmetur, præci-

pimus autem, vt si aliquid cum perpetua missarum, vel officiorum obligatione concedatur fundum perpetuò reseruetur.

§. 2.

Bona mobilia, siue immobilia legata, & pecuniæ vnius conuentus à nullo tum inferiore, tum superiore transferri vnquam ad alium poterunt, licèt de licentia Prouincialis mutuò dari possint de consensu prioris & vocalium ea tamen conditione, vt promisso tempore restituantur. Conuentus autem sancti Patris nostri Augustini licebit acceptare, & reformare, & in eis vices, & ministeria aliorum religiosorum supplere.

§. 3.

Nullus omnino (Commissis exceptis) pecunias audeat contrectare sub pœna culpæ grauis, aut grauioris, aut suspensionis ab officio, si pro tunc superior extiterit, si tamen nullus adfuerit in conuentu Commissus, & eas numerare & contrectare necesse fuerit, tunc prior poterit hanc licentiam concedere cuilibet alteri sibi subdito.

§. 4.

Vt itinerando paupertatem euangelicam perfectius imitemur, nec Christo sic iubente solliciti simus quid manducabimus, aut quid bibemus, hæc enim omnia gentes inquirunt, nulli cuiuscumque gradus, & dignitatis existat, liceat in via per se, vel per personam interpositam pecunias ad proprium vsum deferre sub pœna culpæ grauis, aut grauioris, nec vllo modo equitare sub eadem pœna. Si alterutrum fiat absque licentia Vicarij generalis, vel Prouincialis in scriptis obtenta, & non nisi in maxima, & ineuitabili necessitate

ceſſitate concedenda, ſi tamen talis, & tam prompta occurreret neceſſitas, quod licentia huiuſmodi à Vicario generali, vel Prouinciali peti non poſſet petetur ſaltem à Priore locali, & à Patribus Conſilij, & in libro Conuentus regiſtrabitur, à Vicario generali, vel Prouinciali ſuo tempore examinanda, quòd ſi fortè aliquis in via ob ſuperuenientem infirmitatem, aut cauſam huiuſmodi maximè vrgentem ſine ſupradicta licentia equitare cogatur, ſtatim atque in Conuentum ſibi aſſignatum peruenerit, talem neceſſitatem, aut infirmitatem Prouinciali manifeſtare teneatur, aut in eius abſentia Priori locali, qui Prouincialem admonebit, vt de tali neceſſitate maturè iudicet. Quicumque aliter quam ſecundum ſupradictas formalitates auſus fuerit equitare pœnam grauiorem, ſine vlla remiſſione ſubibit.

§. 5.

Si quis inferior aliqua contraxerit debita, ſine ſuperiorum licentia in ſcriptis obtenta ea Conuentus ſoluere non teneatur, & contrahens tanquam tranſgreſſor ſui voti iuxta qualitatem, & quantitatem debiti grauiter puniatur, queſtoribus, & Conuentuum procuratoribus exceptis, qui vſque ad decem aureos poterunt contrahere debita pro neceſſitate Conuentuum, non tamen vltra inſcio Priore, & Patribus Conſilij ſub pœna culpæ grauioris.

§. 6.

Reliquiaria, Cruces, & ſimilia à fratribus portari non improbamus, imò laudamus, ſed ex auro, vel argento fieri prohibemus, alia quoque huiuſmodi pretioſa nimis curioſa, vel ſuperflua, &

ſimplici paupertatis ſtatui minimè congrua pænitus interdicimus, & qui contra fecerit præter priuationem talium rerum ſeuerè puniatur, paruuli autem cultri, & thæcæ itinerantibus, & quibuſlibet indigentibus Superiorum iudicio de eorundem licentia facilè concedantur.

§. 7.

Qui rem aliquam etiam ad deuotionem pertinentem, quæ excedat valorem octo, vel decem ſolidorum: ſine licentia ſui ſuperioris donauerit, vel ſibi donatum etiam intuitu propriæ perſonæ laboris vel induſtriæ ad vſum proprium acceperit, nec intra vinginti quatuor horas ſuperiori conſignauerit tanquam voti transgreſſor caſtigetur, in rebus verò minoris pretij ſic donans, vel accipiens pœna arbitraria puniatur leuius.

§. 8.

Qui aliquid leuè ſurripuerit fratri, vel ſæculari pœnam grauem ſuſtinere cogatur, ſi autem rem notabilioris quantitatis, aut valoris ſcripta ſeria, ſiue res ſacras pœnam grauiorem, vel grauiſſimam iuxta qualitatem rei ſublatæ.

§. 9.

Si quis proprietarius eſſe conuictus fuerit, id eſt, ſi alicuius rei, vel pecuniæ dominium, vſum, aut titulum propria authoritate ſibi vendicauerit præter, aut contra intentionem ſuorum Superiorum. talis ipſo facto ſit iuxta Concilium Tridentinum voce actiua, & paſſiua per biennium priuatus ſimul, & officio, quo pro tempore potitur, ac prætere a pœnam grauiorem ſine diſpenſatione ſuſtineat.

§. 10.

§. 10.

Si quis autem (quod Deus auertat) in tantum progressus fuerit malum quod proprietarius moriatur, si hoc fuerit euidens beneficio sepulturæ Ecclesiasticæ priuetur, nec pro eo fiant consueta suffragia, vt viuentes terreantur iuxta Canonem secundum de statu Monachorum. Quod si post sepulturam tantum innotuerit eius proprietas effodiatur è terra, si fieri potest, & si quid ex officio defunctorum restet adhuc pro eo recitandum omittatur.

§. 11.

Vt autem omnis priuatæ proprietatis amputetur occasio strictè præcipimus Superioribus, vt singulis fratribus quasi quilibet Christus esset in infirmitate, & in sanitate omnia necessaria cum omni charitate, & humilitate subministrare conentur.

§. 12.

Deinde vt certius obediamus Patri nostro Augustino qui iubet nè etiam nomine tenus dicamus aliquid proprium, sed sint nobis omnia communia, & nemo sibi aliquid operetur, sed omnia opera nostra in vnum fiant. Mandamus omnibus,& singulis Religiosis cuiuscumque gradus, & conditionis existant per meritum salutaris obedientiæ ne pecunias pænes se,vel alios,vestes, libros impressos, aut quid simile valens decem circiter solidos à quocumque & quocumque modo acceperint, vel acquisiuerint ad vsum proprium habeant, & conseruent, sed ea Superiori, aut in officinis, & locis ad similia deputatis, efficaciter,& cum effectu resignent intra viginti qua-

tuor horas ab acceptione rei, vel à reuersione in conuentum nisi ad contrarium peculiaris Superiorum permissio fuerit obtenta.

CAPVT VI.

De voto castitatis, & de egressuris è Conuentu.

§. 1.

QVamuis castitas suomet splendore animum alliciat quia tamen continuò aduersus spiritum pugnat caro eúmque prauis & inhonestis imaginibus deturpare conatur. Ideo sensuum exteriorum custodia, & carnis mortificationi summoperè inuigilandum est, è conuentu difficilè egrediendum, cum mulieribus raró loquendum, imò & sibi inuicem maximè cauere debent fratres iuxta præceptum Sancti Patris nostri Augustini dicentis (*quando simul estis in Ecclesia, aut vbicumque vbi fœminæ sunt inuicem vestram pudicitiam custodite*, & iterum:) *quando proceditis, simul ambulate, cum veneritis, quo itis, simul state.*

§. 2.

Quapropter præcipimus omnibus superioribus, vt præter Commissos nullum omnino Religiosum solum, & sine socio extra Conuentum mittant, vel ipsi soli exeant sub pœna culpæ grauioris, quæ etiam infligetur ei qui licèt per modicum tempus sine socio extra Conuentum fuerit

fuerit egressus, vel cum socio sine licentia sui Superioris, vltra quam licentiam tenebuntur etiam inferiores exeuntes sicut, & redeuntes coram eo genuflectere, & benedictionem sumere deosculando corrigiam eius, & dicendo, *Benedicite Pater*, Superior verò localis benedictioně dabit, his verbis *ille vos benedicat, qui sine fine viuit, & regnat*, nisi tunc ibi præsens esset Vicarius generalis, aut Prouincialis, ad eos enim pertinebit hæc benedictio, quam nunquam dabit prior coram illis, nec Prouincialis coram Vicario generali, vt autem dirigat Dominus gressus eorum in viam puritatis, & pacis, erit iuxta portam oratorium, in quo tam in ingressu, quam in egressu recitabunt orationes ibi descriptas.

§ 3.

Nullus extra Monasterium egressurus socium ex nomine postulabit, sed vt iubet Regula cum quibus Præpositus iusserit ire debebit, hi autem qui simul mittentur, honestè & compositè capitibus coopertis, manibus intra manicas inclusis, & oculis demissis incedant. Vt omnibus sint ædificationi; & exemplo, dum vnus loquetur secularibus taceat alter, vt vnus verbo alter exemplo proximum ædificet, seruato in conuersationibus præcepto infra posito capite decimo, paragrapho septimo, & nunquam sic recedant ab inuicem, vt mutuò priuentur aspectu, qui vero contra hoc statutum se à socio cum muliere locuturus vltro subtraxerit tanquam voti transgressor à superiore puniatur.

§. 4.

Hortamur Priores ne faciles sint in concedenda

egredendi facultate maxime diebus Dominicis, & festiuis præcipuè verò caueant ne nimis frequenter eisdem licentiam concedant, cum eisdem mulieribus colloquendi, vel eas ad proprias domos visitandi, nunquam verò domos personarum infamium inuisent, sicut nec alia loca vbi fiunt comediæ, ludi prophani, & similia vitæ religiosæ, & bono exemplo contraria, quas etiam leges obseruabunt superiores ipsi; & super cuius obseruatione Vicarius generalis, & Prouincialis seriò inuigilabunt.

§. 5.

Fratres extra conuentum missi ad nulla loca, vel domos accedant, vel quæcumque negotia tractent, tum pro se, tum pro aliis nisi ad quæ specialiter, & nominatim fuerint missi; Et si quidem aliquando casus aliter tulerit, omnino volumus, vt post reditum intra diem naturalem illud priori fideliter indicent, quod si facere omiserint absque vlla remissione pœnam grauem imò grauiorem si se emendare neglexerint sustinere cogantur, nec vnquam sub eadem pœna secularibus negotiis se immisceant, vel apud ipsos pro consanguineis, & aliis personis promouendis, vel in domum aliquam introducendis elaborent, aut pro ipsis respondeant sine expressa superiorum licentia.

§. 6.

Fratres siue per vrbem incedendo, siue itinerando in quantum fieri poterit mulieribus se non associabunt. Cætera autem quæ extra Conuentum, & itinerando obseruari debent exprimentur in secunda parte capite secundo, & in

in quarta parte capite decimo tertio.

§. 7.

Ad ostium conuentus nullus cum Mulieribus loquatur sine licentia Prioris, & socio, quem illi Prior poterit assignare si ita iudicauerit, qui contra fecerit pœna graui puniatur, vel etiam grauiori si hoc euenerit dum Conuentus est in Refectorio, aut de nocte dormit, vel de die manet in silentio, & quod hic de porta communi dictum est multo magis in Eclesiis nostris debet obseruari.

§. 8.

Si quis autem (quod Deus auertat) siue Prælatus, siue subditus Mulierem cuiuscumque Status gradus, ordinis, & conditionis sit (priuilegiatis exceptis) in Monasteria nostra introducere, vel admittere præsumpserit, pœnam ipso facto excommunicationis incurrat, ac præterea priuationem officiorum, quæ in præsentia obtinuerit; & cæteras pœnas Canonibus prætaxatas.

§. 9.

Qui in locutione, tactu, gestu, vel aliquouis modo honestatem & puritatem leuiter læserit, graui pœna sine remissione plectatur, nec non grauiori si se emendare neglexerit, qui verò suæ professionis oblitus in aliquem lapsum carnis realiter inciderit, & fornicationis crimine se maculauerit per tres menses carceri mancipetur, ibique feriis secundis, quartis, & sextis in pane, & aqua ieiunet, & in postremo mense tribus dictis diebus sic ieiunabit in medio Refectorij comedens in terra, & sumpta prius disciplina, post-

ea

ſtea verò mutetur loco & conuentu, in quo peccauerit, & ad illum vlterius non mittatur, niſi per longa poſtea tempora ita religioſè conuerſatus fuerit, officiis etiam priuetur, & de cætero ad alia inhabilis permaneat, donec definitorium, generale, vel prouinciale cum eo diſpenſandum eſſe iudicauerit. Si autem ſecundo in idem peccatum quis inciderit, vel ſemel tantum cum magno ſecularium ſcandalo, & Congregationis dedecore pœnæ ſubiaceat grauiſſimæ, & per ſexcennium voce priuatus exiſtat. Tertio reincidens carceri perpetuo mancipetur; vel tanquam incorrigibilis à Capitulo generali Congregationis habitu priuetur, ſeruato decreto Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani Papæ octaui; ſimile ſit iudicium de eo, (quod Deus auertat) qui inciderit in grauiora carnis ſcelera, quæ nec nominari quidem decet, qui autem aliquem effectu non ſequto ad illa perpetranda ſollicitauerit per duos menſes carceri mancipetur, ieiuniis & diſciplinis plectendus ad arbitrium ſuperioris.

CAPVT VII.

De humilitate, & ordine præcedentiæ regiminis, & præſidentiæ.

§. 1.

QVia Religioſorum humilitas ordini non contradicit, ideo vtrumque intendentes hortamur in primis fratres, vt ſi velint cum Patre

Auguſtino

ugustino peruenire ad fastigium Sanctitatis ius cogitent de fundamento humilitatis, & sa-taria eius exercitia humiliter amplectantur nalint subesse, quam præesse, omnes fratres tiam inferiores præsertim vero antiquiores sa-erdotes, & infirmos, aliorum ordinum Reli-giosos, & Ecclesiasticos quoslibet honore præ-ueniant, pauperum, & hospitum pedes lauent, & osculentur, primos accubitus, & vanos homi-num applausus effugiant, Domum verrant, vten-silia mundent, mensæ, & ægrotis charitatiue inseruiant, & nouissimo loco libenter recum-bant.

§. 2.

Quia tamen vt supra dictum est, humilitas or-dinem non destruit, vt omnis confusionis ma-teria deuitetur, expulsis à Congregatione pro-motionibus ad Magisteria doctoratus, Baccalau-reatus, & aliis huiusmodi gradibus hunc locum, & ordinem ab omnibus obseruari iubemus.

§. 3.

Extra Capitulum generale congregationis Vi-carius generalis, semper, & vbique primum lo-cum obtinebit, & eo absente eius commissarij, secundum, Prouincialis in sua prouincia, tertium habebunt regulariter superiores locales, quam-uis enim duo procuratores, & assistentes gene-rales sint dignitate longe priores ipsis, tamen propter politiam & præsidentiam Conuentus ce-dent eis primum locum extra tempus assignãdum paragrapho sequenti, & ideo regulariter extra Capitulum generale congregationis quartum lo-cum habebit Procurator generalis pro Curia

Romana

Romana, quintum Procurator generalis pro curia Galliæ; Sextum aſſiſtentes generales, qui iuxta antiquitatem profeſſionis erunt inter ſe ordine primi; Septimum Prouinciales aliarum Prouinciarum iuxta antiquitatem profeſſionis Octauum ſubprior localis ſcilicet in præſentia Prioris: quando verò abſuerit per viginti quatuor horas tunc ſubprior ipſius vices tenebit, & locum, & præcedet quos præcedebat Prior, exceptis duobus Procuratoribus, & Aſſiſtentibus generalibus, quos ſubprior etiam abſente poſt viginti quatuor horas Priore, nec Vicarius ad tempus conſtitutus vnquam præcedent, nec coram ipſis vlla ſigna præſidentiæ in actibus communibus habebunt, ſed ſolum regimen Conuentus, & in Capitulis Conuentualibus propoſitionem; Nonum cæteri Sacerdotes profeſſi, & Nouitij iuxta antiquitatem profeſſionis, aut receptionis. Decimum Clerici profeſſi & Nouitij. Vndecimum conuerſi profeſſi & Nouitij. Duodecimum commiſſi profeſſi & nouitij, & hi omnes in gradu ſuo præcedent ſecundum ordinem profeſſionis, aut receptionis ſi fuerint nouitij, ſi autem eodem tempore recepti, vel profeſſi fuerint, ille præcedet qui ætate alterum anteibit, & ſuper hoc inuigilabit Prior, vt ex duobus ſimul profitentibus ætate prouectior prior porfiteatur baptiſmi fide inſpecta. Si autem Vicarius generalis aliquos ex quinque præfatis officialibus generalibus, ſibi in adiutorium, & conſilium adiunctis ſecum duxerit ad viſitationem, tunc illi quandiu erunt in eo Conuentu cum Vicario generali, quem pro viſitatione commit-

tantur

tantur præcedent omnes ſuperiores locales excepto ſuperiore locali Conuentus reſidentiæ, in quo ipſimet viſitabuntur. In Capitulis vero generalibus ſedebit primo præſidens, ſecundo Vicarius generalis electus, tertio abſolutus, quarto duo Procuratores, & aſſiſtentes generales ordine quo ſupra, deinde Prouincialis prouinciæ in qua celebratur Capitulũ. Deinde Prior localis,& poſt eum alij Prouinciales iuxta ordinem profeſſionis, poſtmodum diffinitores poſt quos ſequuntur Secretarius Congregationis,Priores, & Diſcreti, ita vt diffinitor in ſua Prouincia præcedat alios diffinitores, alij vero inter ſe iuxta ordinem profeſſionis: idem ſit iudicium de prioribus, & diſcretis, itavt gremiales omnes Capituli generalis eo durante præcedant cæteros Patres Conuentus cuiuſcumque gradus ſint excepto Priore locali qui ſeruabit ordinem ſupradictum. Quando autem officiales de nouo electi debent ſumere locum ſuum, & veteres officiales ipſum perdere dicitur in terra parte, capite quarto, paragrapho octauo. Quandiu autem diffinitorium generale durabit Patres qui ſunt de corpore ipſius quoſcumque alios officiales præcedent.

§. 4.

In Capitulis prouincialibus Vicarius generalis, vel Præſidens ab eo miſſus cæteros præcedet, deinde Prouincialis prouinciæ electus, & abſolutus, tertio Procuratores, & Aſſiſtentes generales (ſi qui adſint) quarto Prior localis, quinto Diffinitores, ſexto Priores, & Vicarij iuxta antiquitatem Conuentuum, demum Secretarius Vicarij generalis (ſi adfuerit) cæteri vero iuxta ordinem

dinem professionis, quem post electionem nouorum) diffinitorum resument & alij omnes nisi fuerint de corpore diffinitorij, vel officiales generales, qui sedebunt ordine supra posito vsque ad solutionem Capituli, si verò aliqui pro absentia alterius substituti fuerint sument semper locum post eos quorum corpori substituti sunt etiamsi Priores fuerint illi pro quibus substituuntur, & hoc in omnibus capitulis etiam generalibus locum habere volumus pro substitutis.

§. 5.

Verum quia aliud est præcedentia quoad locum, aliud præsidentia quoad signa in actibus communibus facienda, & aliud regimen vt potéque sæpè in diuersis separata reperiuntur, postea quæ de præcedentia dicta sunt, & dicentur capite sequenti, paragrapho septimo, habeat Vicarius generalis extra Capitulum generale semper, & vbique omnia signa præsidentiæ, & eo absente, illius Commissarius, deinde Prouincialis, & in eorum absentia Prior, Priore autem absente, semper ad eos quicumque sint modo professi pertineant præsidentiæ signa ad quos pertinet locorum præcedentia in actibus communibus: signo, & benedictioni Vicarij generalis omnes subiicientur indifferenter, signo Prouincialis & prioris dum præsidebunt, cæteri omnes exceptis Procuratoribus, & Assistentibus generalibus, qui solius Vicarij generalis signum, & benedictionem expectabunt tum in refectorio, tum in choro, & à quibus in huiusmodi actibus communibus præter ea quæ supra dicta sunt paragrapho secundo benedictionem sument, reliqui omnes etiam Sub-

priores

priores, nisi in absentia Prioris post viginti quatuor horas, & Vicarij ad tempus constituti, & sic successiuè de cæteris professis, nec enim volumus, vt professi à nouitiis etiam præcedentibus signa & benedictionem accipiant, sicut nec Clerici Nouitij à Conuersis, aut Commissis professis, extra quem casum nulli liceat ab vllo Communitatis actu recedere nisi cum venia Præsidentis, & post osculatam corrigiam eius.

§. 6.

Regimen verò Conuentus, & fratrum regulariter ad solum Priorem pertineat, & in eius absentia etiam breuissima ad subpriorem, & in absentia vtriusque successiuè pertinet ad Patres, & alios professos, qui ibi sunt post subpriorem loco, & ordine primi.

CAPVT VIII.

De officio Diuino, orationibus, & Disciplina.

§. 1.

QVoniam regula nostra iubet orationibus instare horis & temporibus constitutis, & vetat aliquid cantare nisi quod legitur esse cantandum, præsenti constitutione declaratur Sacerdotes, & clericos in Congregatione nostra professos teneri ad recitationem diuini officij, vel publicè vel priuatim, iuxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & peculiaria nostri ordinis

D officia

officia à ſede Apoſtolica approbata.

§. 2.

Prioris erit prouidere vt habeantur Miſſalia, Breuiaria, Magnum pſalterium, Martyrologium, Calendarium ſanctorum ordinis, feſtorumque diæceſalium, ordo diuini officij recitandi, & cætera ad debitè officiandum vel celebrandum neceſſaria.

§. 3.

Mattutinum regulariter decantabitur media nocte, exceptis tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ in quibus aliarum Eccleſiarum morem ſequemur, Aliæ horæ decantabuntur temporibus alibi præſcriptis.

§. 4.

Quicumque a Matutino abfuerit in pane ſolo, & aqua prandeat, ſi ab aliis horis pitantia, & vino priuetur, & Prior qui ſuper hoc non inuigilauerit grauiter puniatur.

§. 5.

Totum officium tam nocturnum, quam diurnum, in omnibus Conuentibus, in quibus erunt ad minus decem fratres de familia intra chorum cantetur ſine nota cum ſumma veneratione, voce diſtincta, & mediocriter elata interiectis pauſis debitis in principio, medio, & fine ſine nimia tamen ſillabarum protractione. In locis autem vbi minor eſt numerus fiat ſicut dicitur tertia parte capite decimo ſeptimo paragrapho ſecundo. Hebdomadarius autem, & cæteri omnes a profeſſione vſque ad ſeptennium incluſiuè ſemper præ manibus Breuiarium, aut Diurnale habeant, volumus præterea, vt qui in diuino

uino officio cantando, vel legendo, aut ceremonias faciendo in aliquo errauerit, toties genuflexo culpam suam recognoscens terram deosculetur.

§. 6.

Qui triennium à professione expleuerit sedebunt alternatim per psalmos, ita vt ad vniformitatem seruandam sedeat vterque chorus in primo, stet in secundo; Cœteri vero non triennales stabunt ante pulpitum, nec sedebunt cum cæteris nisi tempore lectionum, & Martyrologij, vt in capite tertio iam dictum est.

§. 7.

Audito primo signo cuiuscumque officij omnes ab aliis negotiis & occupationibus statim se expediant quatenus ante finem vltimi signi reperiantur in choro, si quis vero inferior inchoato aliquo officio accesserit genuflexus signum surgendi, à Præsidente chori expectabit à quo etiam veniam semper, & benedictionem sumet, si ante finem exeat, sicut de cœteris Communitatis actibus dictum est supra capite septimo paragrapho quinto.

§. 8.

Psalmus exaudiat post vesperas semper decantabitur pro Christianissimo nostro Galliarum Rege, vel pro ducibus, & Principibus Prouinciæ in qua situm fuerit Monasterium, post hunc vero psalmum, sicut, & post finem matutini, fiet pausa, & pia super officium recitatum reflexio per spatium vnius *Miserere* vsque ad signum præsidentis post quod singuli ad cellas suas cum silentio pergent, quod & idem obseruari strict.

præcipimus quoties fratres è choro ſine cantu egrediuntur.

§. 9.

Orationi mentali regulariter vacabimus bis in die ſingulis vicibus per ſpatium trium horæ quadrantium: horis aſſignandis.

§. 10.

Denique vt Dauidis exemplo antequam demus ſomnum oculis, & requiem temporibus noſtris locum domino præparemus. Poſt cœnam, vel collationem tempore præſcripto pulſata campana pro ſigno ſilentij omnes, tum ſuperiores, tum inferiores imò, & hoſpites ipſi dummodo non fuerint infirmi in choro cum ſilentio conueniant, ibique genuflexi ſaltem per octauam horæ partem examen conſcientiæ ſuæ faciant, eo verò finito incipiat Prior, vel Præſidens orationem ſerotinam in ordinario contentam, qua peracta, & dicto quinquies *Pater* & *Aue*, pro lucrandis corrigiæ indulgentiis benedicat omnes facie in terram proſtratos dicendo. *Noctem quietam, & finem perfectum, &c.*

§. 11.

Feria autem ſecunda, quarta & ſexta ante benedictionem illam apprehendent omnes diſciplinam in choro decantando orationes, & pſalmos præſcriptos, niſi æſtiuo tempore ad finem Matutini à Priore transferenda iudicetur ob defectum chori, vel alterius loci ſufficienter obſcuri, verum feria ſexta in paraſceue apprehendetur in refectorio indifferenter ab omnibus immediatè antè prandium ſicut eam apprehendunt Nouitij, & noui profeſſi ſingulis fèriis ſextis.

§. 12.

§. 12.

Dicetur quotidie Missa Conuentualis ab hebdomadario, cui omnes non Sacerdotes imò, & Sacerdotes nouitij intererũt, qui verò cum licẽtia Superioris nõ interfuerint aliam omnino missam audire teneãtur. (Excepta autẽ Missa conuentuali) soli Vicario generali cum superpellicio seruiatur.

§. 13.

Habebimus adhuc præter hæc statuta, ordinarium, quo de ceremoniis omnibus tum in Choro, tum in Ecclesia; tum in Refectorio seruandis vniformiter instruantur, & in quo contineatur officium dicendum à fratribus Conuersis, & Commissis, quibus prohibemus litteras addiscere sub pœna culparum grauium infligenda, & addiscentibus, & docentibus; ipsi autem in chorum Cantaturi accedent diebus Dominicis, & festiuis ad vesperas, & quotidie Matutino aderunt ab initio vsque ad psalmum *Venite exultemus*, ab hymno, *te Deum laudamus*, vsque ad laudes exclusiuè, & ab Antiphona Virginis quæ dicitur post laudẽs vsque ad finem: aderunt quoque Litaniis Sanctorum; & Orationi mentali vsque ad primam, Missæ Conuentuali, gratiarum actionibus post prandium, orationi mentali post Completorium, & orationi serotinæ.

CAPVT IX.

De ieiunio & abstinentia.

§. 1.

QVia *bona est oratio cum ieiunio* teste Tobia, ideò cum dixisset Sanctus Pater Augusti-

nus in regula, *orationibus instate horis, & temporibus constitutis*, protinus subdit, *Carnem vestram domate ieiuniis, & abstinentia escæ, & potus quantum valetudo permittit.* Quoniam verò periculum foret vniuscuiusque iudicio relinquere quid, & quantum valetudo permittit, statuimus, & ordinamus, quod præter illa ieiunia quæ ab Ecclesia generaliter, vel in particularibus prouinciis ab Episcopis præcipiuntur Christi fidelibus fratres nostri ieiunare teneantur omnibus sextis feriis totius anni, nisi in illis inciderit aliquod festum in cuius vigilia ieiunauerint. Ieiunent præterea feria secunda, & tertia post dominicam quinquagesimæ, & à festo omnium Sanctorum exclusiuè vsque ad natiuitatem Domini, in vigilia sancti Patris Augustini, & natiuitatis beatæ Mariæ, nec non omnibus vigiliis dierum in quibus datur absolutio generalis, feria verò sexta in parasceue fratres pane, & aqua reficiantur in prandio.

§. 2.

Vtemur in diebus ieiuniorum Religionis, & Ecclesiæ his cibis, quibus in illa regione cæteris Christi fidelibus licitum est vesci dum ieiunant, ne autem ieiuniorum rigor debiliores obruat, præcipimus Prioribus, vt iuxta locorum possibilitatem aliquid plus solito in diebus ieiuniorum fratribus ad prandium ministrari procurent.

§. 3.

Infirmos, itinerantes, & obedientia multum laborantes, & vacantes quibuslibet exercitijs in quibus ad ieiunia non obligat Ecclesia, nec nos

obligare

obligare ad ieiunia Religionis intendimus, ea tamẽ nemo etiam cum causa violare præsumat sub pœna graui, nisi prius habuerit licentiam superioris, qui cum toto Conuentu super ieiuniis huiusmodi dispensare nunquam poterit, imò nec ipse Prouincialis, sed tantum cum iis qui non ieiunandi causam habuerint legitimam.

§. 4.

Vesperè diebus ieiuniorum nè potus noceat, Ministrabitur in colatione frustum panis circiter trium vnciarum, & parum fructus, vel aliquid simile pani superadditum; & in ea seruetur inuiolabiliter quod iubetur in secunda parte de refectione, paragrapho vltimo.

§. 5.

Denique feriis quartis totius anni nisi in illis festum Natiuitatis Domini, vel Sancti Patris Augustini occurrerit, & diebus Sabbati a Natiuitate Domini vsque ad Purificationem in locis vbi esus carnium conceditur fratres nostri à carnibus abstineant intra, & extra Conuentum nisi in casu itineris, aut infirmitatis sub pœna graui transgressoribus infligenda.

§. 6.

Qui verò ratione infirmitatis, & cum licentia indiebus ieiuniorum vel abstinentiæ carne vescentur non id faciant permixtim inter fratres, sed in tabula separata, & ad hoc, ad calcem Refectorij deputata.

CAPVT X.

De silentio, conuersatione, & exercitiis manualibus.

§. 1.

VT secundùm Prophetam *in silentio, & spe sit fortitudo nostra*, teneantur Superiores sub pœna suspensionis ab officio silentium inuiolabiliter obseruandum curare locis, ac temporibus assignandis, ac primò diù, noctuque seruetur in choro, in Sacristia maximè tempore Missarum, in Dormitorio in quo lampadem per totam noctem lucere volumus, in Cellis secretis, in primo claustro vbi duo reperiuntur, & regulariter in Refectorio tam in prima, quam in secunda mensa, Deinde ab oratione Serotina vsque ad primam sequentis diei, & per horam circiter post recreationem meridianam, ita vt tunc Religiosi non solum a verbis, sed etiam ab omni strepitu abstineant, quod si aliquando Superiores, Magistri nouitiorum, vel alij de superiorum licentia ob aliquam ineuitabilem necessitatem hoc silentium locale vel temporale violare cogantur de his quæ expedierint, breuiter & submissa voce loquantur.

§. 2.

Mandamus præterea Superioribus, vt etiam extra præfata loca, & tempora subditos suos otiosos per domum vagantes, vel inanes sermones miscentes omnino cohibeant, permittant tamen

tamen ipsis aliquādo solos, vel cum socio ad hortum pergere deuotionis, vel consolationis causâ.

§. 3.

Poterunt etiam fratres cum benedictione Domini, honestos & vtiles sermones adinuicem conferre singulis diebus immediate post prandium per vnam horam, & per totum tempus quod inter cœnam, seu colationem, & orationem Serotinam intercedit, Moderatè tamen sine tumultu, vociferationibus, contentionibus, siue quouis alio excessu sub pœna priuationis huius conferentiæ per quindecim dies, plus, vel minus ad arbitrium Prioris; In his autem conferentiis Nouitij cum Magistro Nouitiorum seorsim conueniant, cæteri noui professi extra Nouitiatus Conuentum vsque ad septennium cum subpriore vel alio ad hoc deputato: sacerdotes verò & alij cum superiore, qui omnes audito signo silentij tacebunt, & sine mora recedent, contrauenientes indispensabiliter puniantur.

§. 4.

Vt autem aliquando Religiosi à laboribus continuis animum parumper relaxare valeant permittimus, vt eis semel saltem in mense honesta & modesta recreatio concedatur, in qua poterunt fratres habere in Refectorio modestas inter se collocutiones, imo & aliquando, in agrum simul progredi, si ita superioribus visum fuerit, ibi tamen nunquam pernoctarē licebit.

§. 5.

Exerceantur aliquando fratres in operibus Manualibus quibus otium vitiorum Pater euitetur, & Conuentum necessitatibus omnium, &

ſingulorum ope congruè prouideatur, præſertim vero in his inſtruantur conuerſi,& Commiſſi, qui ad ea principaliter ſunt deputati : propterea ſtatuimus , vt ab omnibus fratribus (ſi ita Priori viſum fuerit) fiat ſaltem bis in hebdomada exercitium Manuale per horam, vel dimidiam.

§. 6.

Ne autem tum ſilentij, tum officij, tum laboris, tum etiam recreationis, & conferentiæ tempore, fratres ſecularium concurſu perturbentur , in Conuentu commoda aliqua, & ſegregata aſſignentur loca in quibus de Superiorum licentia fratres cum ſecularibus ſummiſsè loquantur , & religiosè conuerſentur, ſicut, etiam præcipimus in capite ſexto fieri ab his, qui extra Conuentum cum extraneis conuerſantur.

§. 7.

Ne autem vllius conuerſatio in extraneorum ſcandalum , & in Congregationis ſeu peculiaris alicuius Conuentus , aut fratris detrimentum vergere poſſit, præcipitur omnibus Religioſis per meritum ſalutaris obedientiæ, ne quis reuelet alicui extra congregationem noſtram quidquid cognouerit Congregationi, Prouinciæ, vel priuato alicui Conuentui, aut etiam fratri, infamiam, damnum, vel aliquoduis graue incommodum allaturum eſſe.

CAPVT

CAPVT XI.

De cellis, ſolitudine, & clauſura.

§. 1.

QVia de Cella in cœlum facile itur, maneant libenter fratres in Cellis a Priore ſibi conceſſis, ibique cœleſtia meditentur, cellæ autem huiuſmodi regulariter & niſi loci commoditas, vel incommoditas aliter iuſſerit nec fiant minores nouem pedibus; vel maiores decem, earum feneſtræ ſint altitudinis ſaltem trium pedum & latitudinis duorum: portæ ſint in altitudine quinque pedum, & ſemi vel circiter, & in latitudine duorum & ſemi ad plus, illæ ſint ſemper (ſi fieri poteſt) ordinatim in vno, vel pluribus Dormitoriis quorum latitudo intermedia ſit ſaltem pedum ſeptem, nec vnquam excedat octo, claue claudantur, ita tamen vt Prior cum claue communi ea ingredi facile poſſit.

§. 2.

Cellarum ſuppellex ſimplicitatem, & paupertatem redoleat in omnibus, ſit in eis ſedile, & tabula lignea libris ſuſtinendis apta ſit, lectulus peculiaris à terra eleuatus palmo vno, cum pallearicio, & puluinari plenis palea, & vna coopertura lanea, vel pluribus pro temporum congruentia, & ſingulorum neceſſitate, ſint quoque tres, aut quatuor imagines ex charta ad excitandam deuotionem opportunè, & ſi fieri commodè poſſit oratorium aliquod ligneum, & ſimple

plex vbi imagines huiuſmodi affigantur, excu-lenta verò, & poculenta, & omnia comeſtibilia, & ſuperflua pœnitus ibi prohibemus ſub pœna graui, vel grauiori.

§. 3.

Præter ſuperiores, aut Magiſtros nouitiorum pro ſibi ſubditis nulli omnino liceat cellam alterius diu noctúque ingredi; ſine licentia Prioris difficilè danda: qui contra fecerit irremiſſibiliter ſubire cogatur pœnas taxatas in quarta parte, capite ſeptimo, paragrapho primo.

§. 4.

Prior ſæpè viſitet Religiorum cellas: ad hoc autem teneatur ſaltem bis in anno aſſumptis ſecum duobus Patribus conſilij, vt ſi quid profeſſioni, & ſimplicitati noſtræ minimè congruum adinuenerit, illud auferat, fratres verò ſemper & vbique teneantur Priori petenti per ſe, vel per alium claues quaſcumque promptè reſignare ſub pœna culpæ grauis.

§. 5.

In quolibet Conuentu ſit cella aliqua ſita in loco aliquo maximè ſolitario, quæ ſit multo ſpatioſior aliis, & in qua fratres poſſint de licentia Prioris ſemel, in anno per decem, vel pauciores dies commorari ad plenè colligendas, & reficiendas vires ſpirituales, feriati interim ab omnibus communitatis exercitiis, vt ſoli Deo vacare valeant, exceptis horis Matutinis quibus ad arbitrium Prioris intereſſe debebunt, & licet hæc exercitia ſpiritualia nemini præcipiamus, niſi nouitiis immediatè antè eorum profeſſionem tot diebus quot Magiſtro Nouitiorum viſum fuerit:

Ad ea tamen omnes quantum poſſumus exhortamur in Domino, præcipue autem Superiores in principio ſuorum officiorum, Concionatores ante quadrageſimam, & Sacerdotes ante primæ miſſæ celebrationem.

§. 6.

Quod verò attinet ad clauſuram noſtrorum Monaſteriorum, præcipimus vt quantò citius fieri poterit ſic muris vndique muniantur, vt ex inde fratres, niſi per portam communem exire non poſſint: omnibus autem tam Superioribus, quam inferioribus noſtræ Congregationis interdicimus fœminas introducere intra cępta noſtrorum Conuentuum, hoſpiciorum, vel domorum, etiam ſi muris intregre cincta non ſint ſub pœna culparum grauiorum pro qualibet vice infligenda, & circa hanc materiam legatur præterea paragraphus octauus, capitis de caſtitate.

§. 7.

Portæ communis cuſtodia iniungatur Patri alicui, vel fratri qui ſit in quantum fieri poterit ætatis maturæ, ac præterea exemplaris, mitis, & prudens, qui venientes verbis & factis ædificare valeat, iuxta portam continuò reſideat, vt cum pulſatur citò adſit, non tamen aperiat quin prius per portæ feneſtellam aſpexerit dicens (*Aue Maria*) & ſi pulſantes fuerint tales, qui non debeant introduci, illis extra ſatisfaciat, ſi ſint Pauperes mendicantes ipſis eleemoſinas diſtribuat, iuxta paupertatem Conuentus, niſi prior hoc charitatis officium alteri commiſerit: ſi verò pulſantes fuerint perſonę authoritatis mediocris,

intro

intrò iuxta portam remaneant in loco destinato, ipse interim desideratos fratres de licentia Prioris citò aduocet, vel citò responsum reddat, ne ob tarditatem venientes perturbentur, caueat autem Ianitor quantum honestè poterit ne fratres in silentio hora debita manentes, vel existentes in choro ad Diuina, aut in scholis ad lectiones, aut in refectorio hora comedendi, aut hora Capituli molestentur: Si postulantes ad expectandum tantisper induci possint, nolumus tamen, vt ad Conuentum venienti, & aliquid, vel aliquem postulanti, quidquam denegetur inconsulto Priore sub pœna graui Ianitori infligenda. Quod si fuerint personæ nobiles vel singulares Benefactores, Prælati, aut Religiosi aliorum ordinum in primum claustrum, aut in Capitulum siue in quemlibet alium honestum locum ad hoc designatum introducantur, & sine mora moneantur, & aduocentur qui monendi fuerint, & aduocandi.

§. 8.

Nec Ianitor, nec alter sine Prioris licentia quemquam extraneum ad interiora Monasterij deducat, si quis autem postulet ea lustrare, Prior admonitus prouideat illi de Patre, aut fratre aliquo graui, & modesto qui eum semper, & vbique comitetur, & cum eo præcipuè in Dormitorio, & in omnibus silentij locis summissè loquatur.

§. 9.

Nocte imminente ostiarius portam communem, & alias portas exteriores conuentus si quæ sint claudat, & hoc regulariter faciat post

signum

ſignum ſalutationis Angelicæ, & claues illarum ſicut claues Eccleſiæ per noctem cuſtodiendæ Priori tradantur, nec enim tranſacta luce, ſæculares in Monaſterio, aut fratres extra illud, ſine pluſquam vrgenti neceſſitate reperiri volumus, & ſi noctu pulſatur ad portam oſtiarius ad eam aperiendam non ibit niſi cum ſocio, quem illi prior tenebitur aſſignare. Cætera quæ ad oſtiarij officium pertinent tum pro receptione Peregrinorum tum pro alijs in ordinario videantur.

§. 10.

Denique prior qui in Clauſuræ, & ſupradictarum cuſtodia negligens extiterit à Vicario generali, vel à Prouinciali ſeuerè puniatur.

***



SECVN




SECVNDA PARS CONSTITVTIONVM.

De officiis Religiosæ charitatis.

CAPVT I.

De refectione.

§. 1.



VONIAM parte præcedenti dictum est qualis quisque debeat esse erga Deum, & erga se ipsum, nunc dicendum est, quales esse debemus erga proximum, Primo Itaque prouidere debet. Prior, per se, vel per officiales suos iuxta conuentus possibilitatem de cibo, & potu quibus confortati fratres diuinis laudibus alacrius insistere possint.

§. 2

Si fratres à choro ad Refectorium pergant, bini, & bini incedent, alternatim dicentes psalmum *Miserere*, & facta reuerentia Imagini in medio Refectorij, omnes per Choros ad vtramque partem distincti, stent in silentio vsque ad signum Præsidentis, cum quo genua flectēt, & brachiis ad modum

modum Crucis extensis dicant secreto *Pater* & *Aue*, quo finito ad signum eiusdem Præsidentis incipiat hebdomadarius benedictionem mensæ, vt in Breuiario Romano continetur.

§ 3

Finita benedictione omnibus ab vna tantum parte consedentibus ad signum Prioris, vel Præsidentis fratres Mensam deosculantes aperiant mantilia ne vt ait Pater Augustinus solæ fauces sumant cibum, sed & aures esuriant dei verbum, lector incipiat lectionem quæ per totum prandium vel cœnam fit ab vno solo in formatis Conuentibus, in Cœteris verò ab omnibus incipiendo ab vltimis. In nullo autem nostræ Congregationis Refectorio mappis licebit vti, sed solum vnicuique mantile dabitur cum gladio, & cœteris ad Refectionem iuxta institutum necessariis.

§. 4.

Regulariter legetur initio prandij caput aliquod Bibliæ, & initio cœnæ caput aliquod Sancti Patris Augustini, vel alterius Doctoris latino idiomate, vsque ad signum Præsidentis; In reliquo vero tempore legetur vita sancti occurentis illa die, vel alter aliquis liber vulgaris & deuotus, quem prior magna cum prouidentia assignabit.

§. 5.

Feriis sextis ne per obliuionem aliquid negligatur, legatur Regula Sancti Patris Augustini, & si supersit aliquid temporis legantur definitiones, & ordinationes, quæ tunc fuerint in obseruantia, diebus vero sabbati in prandio constitutio-

nes, & in cœna liber ceremoniarum, & ideo habeat quilibet prior in ſuo Conuentu ad minus, duplex exemplar regulæ, conſtitutionum, definitionum, & Cœremonialium.

§. 6.

Lector menſæ ſemper lectioni præmittat hæc verba. *In Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti benedicti, Amen. Incipit*, vel *proſequitur* tale *Caput N*. talis *libri N*. & in fine, *explicit* tale *Caput N*. vel *manet lectio in Capite* tali *N*. talis *libri N*. legat voce alta, & diſtincta præuideat lectionem latinam, & eum errantem nullus præter Priorem, aut Præſidentem, ſiue Patrem ad hoc a Priore deputatum corrigere præſumat, qui vero ſic correctus fuerit repetat lectionem de proximo male pronuntiatam.

§. 7.

Prior diſcumbentes fratres ſubinde reſpiciat, & ſi aliquem incompoſitè, & minus religiosè ſe habere aduerterit eum ſtatim per miniſtrum, vel tempore capituli admonebit Adſint pendente refectione vnus vel duo miniſtri iuxta numerum fratrum qui factis cœremoniis alibi præſcriptis ſuo muneri ita ſint intenti vt nihil ex neceſſariis deſit diſcumbentibus alioquin is cui aliquid deerit, vel ſocius illi collateralis facto modeſto aliquo ſigno ſuper vtenſilia moneat Miniſtros.

§. 8.

Strictè prohibemus particularitates pitantiarum in menſa communi, exceptis infirmis, hoſpitibus, vel aliis huiuſmodi alicui exercitio ſupra modum laborioſo, & neceſſario vacantibus, quibus iuxta cuiuſque neceſſitatem Prioris

iudicio

iudicio committendam cum omni charitate prouidebitur.

§. 9.

In Cellis nunquam, in Refectorio raro seculares cum fratribus comedent, & tunc id fiet in mensa communi, ita tamen vt coram ipsis lectio nunquam dimittatur, nec in eorum præsentia aliquis reprehendatur, nisi culpa ipsis videntibus esset commissa, nec vlla fiet pœnitentia quæ ab ipsis videri possit, sed ad alterum diem transferatur.

§. 10.

Qui aliquid in Refectorio negligenter commiserit, vt vinum, vel aquam effuderit, aut quid simile surgat statim in loco suo, & capite discooperto, & inclinato dicat secreto orationem dominicam, deinde sedeat, si verò fuerit ex ministrantibus genua flectat, nec surgat vsque ad signum Prioris à quo refectio aliquamdiù protrahetur, vt debiles, & seniores qui lentius comedunt eam interrumpere non cogantur.

§. 11.

Qui prius pransi fuerint, aut cœnauerint fragmenta colligant, & ex his Prior iniungat alicui continuationem lectionis, ac demum refectione, quasi completa det signum super tabulam quo audito Ministri pulsent Campanellam pro signo secundæ mensæ, deinde collectis omnino fragmentis præsidens duplici super tabulam signo finiet refectionem, & lector lectionem, & tunc omnes surgentes facta consueta imagini, & superiori reuerentia gratias agant iuxta rubricas, & in prandio diebus quibus non ieiunatur cum per-

uentum fuerit ad psalmum bini, & bini processionaliter eant ad Chorum, vel ad Capitulum pro consuetudine, & commoditate loci.

§. 12.

Quicumque domi existens primæ mensæ sine euidenti necessitate defuerit, à Priore ad eam aduocetur, & puniatur, si quis autem cum licentia abfuerit simul cum ministris intersit secundæ mensæ, quam omnino fieri præcipimus in principalioribus conuentibus in qua etiam silentium, & lectio continuentur, nec quidquam Ministretur cibi, vel potus, quod in prima non fuerit ministratum. Nulli extra Refectorium, nec extra Conuentum præterquam in itinere liceat comedere nisi de licentia expressa Prioris, quàm non nisi difficilè, & in causa maximè rationabili concedet.

§. 13.

Ad Cœnam ferè eadem forma obseruabitur, quæ in prandio præterquam quod ad Capitulum, vel chorum non itur, finitis gratiis omnes professi cum silentio recedant: Magister autem nouitiorum cum nouitiis recedendo recitet Litanias, vel quid simile, quod & faciet quoties cum illis pendente die ad aliquem locum peculiarem intra Conuentum perget.

§. 14.

Ad colationem in diebus ieiuniorum fratres dicto *Pater*, & *Aue*, vt in prandio sedeant in silentio, & lectione ad primum Prioris signum incepta, & ad secundum finita dicat lector. *Benedicite*, & Præsidens subiungat, *largitor omnium bonorum benedicat colationem seruorum suorum*,

omnibus

omnibus respondentibus, *Amen.* Colatione finita, & fragmentis collectis Prior dicat, *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, & tunc fratres respondendo, *qui fecit Cœlum & terram*, deosculata tabula surgant, & agant gratias, Hebdomadario dicente, *Sit nomen Domini benedictum*, cum reliquis quæ dicuntur in fine prandij.

§. 15.

Ad colationem nulla sit secunda mensa, nec post primam vlli quidquam detur absque licentia Prioris, qui in ea lectionis faciendæ signum non faciet quim prius per aliquem ex presentibus absentes aduocauerit, ipse etiam ab ea relictis quibuscumque negotiis nunquam se dispenset nisi in necessitate vrgentissima, & ineuitabili; alioquin à Vicario generali, aut à Prouinciali grauiter puniatur.

CAPVT II.

De receptione hospitum, & viatorum.

§. 1.

QVoniam Christus Dominus in cuius persona recipiuntur Peregrini dicturus est in die iudicij *hospes fui, & suscepistis me*, cum maxima cordis, & vultus iucunditate recipiantur & tractentur apud nos iuxta facultatem Conuentus pauperes hospites quales sunt nostri, & aliorum ordinum Religiosi non habentes in illo loco Mo-

nasterium, & alij quicumque pij peregrinantes. Ne autem inquietudinem fratribus hospitalitas generet sint duæ vel plures Cellæ à Dormitorio si fieri potest segregatæ, hospitibus honestè, & charitatiuè recipiendis præparatæ.

§. 2.

Præterea quæ Ianitori alibi in Capite de clausura, & in Capite de ostiario in admittendis extraneis præcipiuntur, Prior aliquem de suis subditis pium & modestum ad hospitum Ministerium deputabit, & præter eum, aut alios in adiutorium ei adiunctos, si opus fuerit, nullus sine licentia hospites alloquetur sub pœna culpæ mediæ erga huiusmodi hospites geret se receptor hospitum sicut ei in ordinario præscriptum est, & Prior iuxta qualitatem eorum consideratis meritis, & laboribus.

§. 3.

Nullus Religiosus alterius ordinis sine sui superioris obedientia recipiatur iuxta Bullam piæ memoriæ Sixti Quinti: probata autem eorum obedientia honorificè admittantur, & pedes eorum cum omni humilitate lauentur, præcipuè si de remotis venerint.

§. 4.

Hospites extranei maximè seculares regulariter in Monasteriis nostris vltra vnum diem non commorentur nisi aliqua vrgens necessitas, infirmitas, aut alia causa rationabilis aliter exegerit. Si verò Prior vltra tres dies detinere aliquem in suo Conuentu quacumque de causa voluerit, tenebitur ad hoc habere consensum Patrum Consilij sui Conuentus. Prohibemus autem

tem Superioribus localibus sub pœna depositionis ab officio ne vltra quindecim dies extraneos in suis Conuentibus commorari permittant sine licentia Prouincialis, nec Prouincialis vltra mensem sine licentia Vicarij generalis.

§. 5.

Item malefactoribus, & sceleratis ad domos nostras metu pœnæ confugientibus nullo modo pateat aditus, & si fortè casu aliquo sine Patrum consensu ad Ecclesias vel domos nostras confugerint, Prior eos quam primum nitatur expellere, ea tamen prudentia, & dexteritate, vt loca nostra, neque sint criminosorum refugium, neque vllo pacto violetur Ecclesiarum, & Conuentum immunitas.

§. 6.

Hospites verò, & viatores Congregationis nostræ præter supradicta, & alia quæ de egressuris è Conuentu dicta sunt in prima parte capite sexto, & pro non ferendis in itinere pecuniis capite quinto, paragrapho quarto, ac quæ dicentur in quarta parte capite de Apostatis secum ferre tenebuntur in scriptis obedientiam, & facultatem superiorum in qua contineatur annus, mensis, dies, Conuentus à quo exeunt sicut, & locus ad quem vadunt, imo, & si fieri possit in ea redeundi terminus exprimatur: qui sine tali obedientia extra Conuentum suæ familiæ repertus fuerit tanquam sui instituti desertor à quouis Priore apprehendi possit, & in loco tuto conseruari donec Vicarius generalis, vel Prouincialis prouiderint quid de eo agendum sit.

§. 7.

Vt autem huic incommodo faciliùs occurratur, præcipimus in virtute Spiritus sancti,& mádamus ne aliquis frater nostræ Congregationis professus absque sui Superioris licentia in scriptis obtenta aliquo discedere præsumat. Si autem (quod Deus auertat) fratrem aliquem sine prædicta licentia ab aliquo Conuentu discedere, seu fugere contingat illum primo, secundo, & tertio monemus, inducimus, & hortamur, eique præcipimus per obedientiam salutarem, vt per totam illam diem qua prædictum Conuentum reliquit, & quam ei pro termino peremptorio assignamus ad ipsum Conuentum de facto redeat; quod si ea die non redierit, scientes ex hoc illum contumacem, & Apostatam,vel saltem fugitiuum,ex nunc pro ex tunc excommunicationis vinculo innodamus.

§. 8.

Viatores autem nostri qui præfatam habuerint obedientiam,& superiori locali exhibuerint, ei præterea negotium ad quod venerint exponent fideliter, nisi aliter aliquis Prioris superior ordinauerit, nec prius ad interiora Monasterij introducantur quin à Priore, vel alio per eum deputato recepti, & recogniti fuerint, & ab eo ad salutandum Vicarium generalem, & Prouincialem (si adsint) missi, vel conducti,vt ipsis debitam salutationem reddant, & aduentus facultatem eamque exhibeant, si autem viatores huiusmodi fuerint Vicarius generalis, Prouincialis, Procuratores, aut Assistentes generales ostiarius superiorem statim admonebit, qui relictis omnibus

eos

eos salutaturus accurret, ac deinde solito Campanellæ signo fratres omnes aduocabit, vt ipsi eos cum simili salutatione recipiant. Hæc autem sit communis viatorum nostræ Congregationis salutatio, vt cum humili, & hilari genuflexione sacerdotibus detur osculum in manu dextra, non Sacerdotibus verò in corrigia.

§. 9.

Venientes in locum aliquem in quo nostræ Congregationis Monasterium reperitur, extra illud data opera prandere, vel cœnare non audeant sub pœna graui; nec pernoctare sub grauiori, quæ etiam augebitur, vel carcer addetur per mensem si bis, cum ter extra illud pernoctauerint; illis autem expressè interdicitur ne sine licentia superiorum litteras tum secularium, tum fratrum suscipiant transferendas sub pœna culpæ grauioris. Prohibetur insuper eis, & cœteris omnibus ne circa ea quæ in vno conuentu fiunt, in alio spargant falsos rumores, vel etiam veros, fratrum quieti famæ, & ædificationi notabiliter nociuos; & si quem talia declarasse contigerit Prior circa huiusmodi relationem, & declarationem informabit, & informationem ad Vicarium generalem, vel Prouincialem mittet, vt relatores huiusmodi grauiter puniat.

§. 10.

Viatores nostri regulariter hospitum priuilegiis gaudebunt tribus diebus, plus vel minus habita ratione itineris peracti & peragendi, & siquidem ibi pro modico tempore commorentur intra refectorium in Mensa ad hoc peculariter deputata refectionem sument, qui verò vltra hebdomadam

in eodem Conuentu moram trahere debuerint siue sint alterius Conuentus, siue etiam alterius Prouinciæ ad instar aliorum Conuentualium omnibus actibus communitatis, & Capitulis culparum, officiisque tam diurnis, quam nocturnis intersint, nisi legitimè impediantur expeditione negotij ad quod venerint, cui incumbere omnino concedat Prior, & vt quamprimum expediantur collaboret; imò & si fuerint vocales poterunt capitulis vocalium interesse, eo excepto in quo discretus eligendus est, vt amplius dicitur in tertia parte capite de discretis.

§. 11.

Si frater hospes aliquam commiserit culpam Prior localis poterit eum non tantum monere, sed & punire, nisi mallet Priori proprio, vel Prouinciali puniendum relinquere, & ad eos plenam, & fidelem informationem mittere.

§. 12.

Superior Conuentus vndè exibunt fratres prouidebit eis de vestimentis, tunicella, sudariolis, & aliis ad itinerandum necessariis, tum pro itineris solatio, tum etiam ne Conuentui ad quem accedunt fiant onerosi: Superior qui in hoc peccauerit puniatur, & ad vestem mittendam, vel saltem pretium eius à Vicario generali, aut Prouinciali cogatur. Quis autem Superior, aut quo possit quilibet Religiosos mittere in Superiorum officio exprimetur.

§. 13.

Superior qui debitam hospitibus non exhibuerit humanitatem, & in consuetudinem duxerit, eos minus charitatiuè quam par est

recipere

recipere, nec supradicta pro viribus obseruauerit, ita vt viatores, & hospites consolati, & ædificati non recedant, à Vicario generali, vel Prouinciali seuerè puniatur, & si alias conuictus, vel punitus se emendare neglexerit ab officio suspendatur, & demum priuetur.

CAPVT III.

De vestiendis Fratribus.

§. 1.

DOminus Iesus etiam dicturus est, *nudus fui, & operuistis me*, secundùm autem mentem sancti Patris Augustini ad Præpositum pertinet suis subditis de vestibus prouidere, ait enim Regula, *distribuatur vnicuique vestrum à præposito vestro victus & tegumentum*, è conuerso interdicimus fratribus vestimenta sibi emere, vel à quocumque sibi collata portare, vel retinere, sine expressa Superioris licentia, nec etiam ea distrahere, vel quouis modo alienare sub pœna culparum grauiorum. Consequens enim est, vt inquit Pater Augustinus, vt etiam *cum quis filiis suis, aut aliqua necessitudine ad se pertinentibus aliquam contulerit vestem siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum non occultò accipiatur, sed sit in potestate præpositi vt in rem communem redactum cui necessarium fuerit præbeatur.*

§. 2.

Prior qui neglexerit pro possibilitate sua opportuno

portuno tempore fratribus ſibi ſubditis de veſtimentis neceſſariis prouidere ſi hoc ex eius culpa, vel negligentia acciderit viſitationis tempore grauiter arguatur, vel etiam puniatur, & ſi ſe emendare neglexerit ab officio ſupendatur ac denique priuetur.

§. 3.

Et quoniam prætera in regula nobis præcipitur veſci ex vno cellario & indui ex vno veſtiario, ſtatuimus, vt veſtimenta noſtra in materia & forma conueniant vt ſequitur.

§. 4.

In primis quoad materiam pertinet;habitus exterior pallium, & Capucium erunt compoſita ex panno nigro groſſiori, qui in prouincia, & locis in quibus degimus inueniri poterit,cuius etiam lana, ſi fieri poſſit eleemoſinariè collecta ſit.

§. 5.

Quoad formam habitus erit ſine collari, & plicatturis, longitudine ad terram ferè pertingens,m anicarum longitudo manuum digitos attingat, latitudo verò oris earumdem erit circiter vnius palmi, pallium ad genua circiter vſque protendet, Capucium latitudine ſcapulas non excedet, eritque rotundum in anteriori parte cum cuſpide in poſteriori, ad corrigiam vſque pertingens, in ſummitate vero parumper acutum, Capucium contra pluuiam quod ab itinerantibus portabitur,(cum opus fuerit) Priori Capucio longius, & largius, quatenus illud & ſummitatem pallij complecti poſſit ſit autem rotundum tam in anteriori, quam in poſteriori parte. Tunica que defertur ſubtus habitum tempore hye-

mis

mis poterit quidem constare ex materia delicatiore quam habitus, non autem pretiosiore, & eius longitudo ad medias tibias circiter vsque, pertingens, & erit coloris nigri.. Tunicella, quæ fertur iuxta carnem constabit ex sargia alba, & vltra genua non extendetur.

§. 6.

Fratrum habitus cingatur zona nigra, & pellicea cuius latitudo sit circiter duorum digitorum, longitudo ad medias vsque tybias pertingens, & fibia illius sit ex osse nigro, ab ea autem dependeat corona Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ sit etiam nigri coloris, cum simplici, & paruula cruce.

§. 7.

Incedent fratres nostri nudis pedibus calceati tantum sandaliis Christi & Apostolorum exemplo, quod calceamentorum genus ita se habet teste eodem Patre Augustino, vt pes neque tectus desuper sit, neque nudus ad terram, nec eum cooperiat, sed tantum suffulciat, si vero aliquando necessitas postulauerit cum aliquo dispẽsare, vt calceos ferat, & caligas, fiet ad tempus per Vicarium generalem, aut Prouincialem in scriptis, si autem ad vitam scilicet quando præfato necessitas durauerit per diffinitorium Capituli Prouincialis, & siquis contra hanc constitutionem aliter caligas, aut calceamenta portauerit, nisi forte in extrema necessitate culparum grauiorum pœnæ subjaceat, Commissis tamẽ lõgius iter suscipiẽtibus propter negotia ad tempus, & extra Conuentum calcemanta permitti poterunt, si ita Vicario generali, vel prouinciali visum fuerit.

§.8.

§. 8.

Fratres commiſſi nunquam ferent Capucium, nec illud quiſquam eis concedere poterit, imo nec ipſum Capitulum generale, geſtabunt habitum cum collari, & decenti apertura ante pectus, & pro cœtero veſtientur ſicut alij fratres, loco autem Capucij tam intra quam extra Monaſteriũ vtentur galero, quem cœteris omnibus Religioſis interdicimus ſub pœna culparum grauiorum.

§. 9.

Fratres noſtri exceptis femoralibus, ſeu metandis, & ſudariolis veſtibus linteis non vtantur, alia etiam quælibet linteamina tam intra quam extra Conuentum omnino interdicimus ſub pœna culparum grauium, vel grauiorum, ſi cum ſcandalo ſecularium deferantur, ſed illis in ſola infirmaria locum dari volumus. Matelaſium concedatur ſenibus circiter ſexagenariis, & debilibus de conſenſu ſaltem Patrum Conſilij. Tunica autem qua vtentur ægroti, ſit ex ſargia, vel alio aliquo panno leui, & retro ſcapulas aperta. Sint præterea in quolibet Conuentu duæ, vel tres cucullæ nigri coloris ad ſcapulas apertæ, ita vt cum illis poſſint facile fratres ſe diſponere, (cum opus fuerit) ad diſciplinam ſibi in refectorio infligendam.

§. 10.

Præcipimus fratribus noſtris cubare ſaltem cum tunica nigra, & ſcapulari albo, & paruula corrigia ſub pœna culpæ grauis, pro qualibet vice. Habitus, ſcapularia, & corrigiæ antequam à fratribus deferantur ſemper à Priore, vel ſubpriore benedicantur.

§. 11.

Si quis capicio ex panno nigro vti infirmitate cogatur, ipso solo tectus coram secularibus nunquam apparebit: si tamen aliquando ita sit grauis infirmitas, vt de consilio Medici omnino id fuerit necessarium, fiet de sola Prouincialis licentia.

§. 12.

Superiores locales super sibi subiectis fratribus, & tum Vicarius generalis, tum Prouinciales super vniuersis diligenter inuigilent, in meteria & forma vestimentorum, vt supradicta seruentur, & si quidem aliquem præsentium statutorum infractorem repererint, matura castigatione quantò citiùs ad supradictam formam redigant.

§. 13.

Cura vestimentorum ne atinea lædantur committetur vni sacerdoti, Clerico, Conuerso, vel commisso qui ea excutiat, mundet, & conseruet, fratres vero teneantur purgare, & ad vestiarium referre vestimenta vetera cum noua accipiunt.

§. 14.

Vestimenta vetera quandiu vtiliter refici poterunt, reficiantur pro cœteris reficiendis inseruiant ad Religiosos, si quidem omnino pertinere non debet quod ipsis vestimentum pro temporum congruentia conferatur, vtrum scilicet hoc accipiat vnusquisque nouum, vel vetus quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat, dummodo vnicuique prout cuique opus fuerit non negetur, dum fratres accipient vestem, vel quid simile à suo superiore, vel illius officialibus dicant

dicant genibus flexis, *Benedictus Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.*

§. 15.

Fratres à Superiore in quem omnem sui curam coniicere debent vestimenta exteriora, quæ in eius conspectu sunt nunquam postulent; interiora verò sicut vniuscuiusque valetudo, vel temporis ratio exiget postulare possint.

§. 16.

Phohibemus etiam ne Religiosi nostri propter quascumque culpas vestiario priuentur, sed volumus, vt aliis pœnis puniantur excepto dum ad patientiam condemnabuntur, tunc enim intra Conuentum palliorum vsus eis interdicitur. Nolumus etiam, vt fratres vestes laceratas, & sordidas deferant, & paupertatem quidem eorum volumus apparere, sed mundam: ita etiam ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus, indumenta nostra ad arbitrium superioris lauentur, siue à nobis intra Monasterium, siue foris à fullonibus, si commoditas Conuentus non patiatur, vt mundentur à fratribus intra Monasterium. Interdicimus præterea omnibus cuiuscumque conditionis illi sint, ne aliquod vestimentum laneum, vel linneum, neque strophiola & similia alicui particuliari personæ lauanda consignent sine superiorum licentia sub pœna culparum grauium.

§. 17.

Prohibemus omnibus Vicariis Conuentuum tempore Capituli Prouincialis in absentia Superiorum electis ne quidquam noui attentent, ne ve

sibi

ſibi, vel aliis nouas veſtes, aut alias huiuſmodi vllo modo emant, vel emere faciant, ſub pœna priuationis talis rei, & præterea culpæ grauioris tam Superiori, quam inferrori qui rem huiuſmodi, vel attentauerit, vel habuerit imponenda, poterunt tamen fieri, reſarciri ſandalia ad præuenienda itinera.

§. 18.

Sacerdotes tantum, & Clerici coronam tonſuræ deferant in capite, quæ duos circiter digitos latitudinis habeat, Conuerſi verò, & Commiſſi ſupra pectinem in capite tondeantur eodem tempore quo cœteri nimirum ſemel in menſe, vel bis æſtiuo tempore ſi ita viſum fuerit Superiori, ſine cuius licentia nullus differet, vel præueniet tempus ad hoc ordinatum, nec præter quam in itinere extra Conuentum tonſuram ſibi fieri quiſquam procurabit ſub pœna culpæ grauis. Barbæ autem tonſura nulla fiat.

CAPVT IIII.

De cura fratrum infirmorum.

§. 1.

ÆGrotantium cura, ſiue poſt ægritudinem reficiendorum, ſiue aliqua infirmitate laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipſe de Cellario petat quod cuique opus eſſe perſpexerit, qui etiam ſit patiens ad infirmorum moleſtias perferendas, & dulcis eloquio, vt cum opus fuerit

eos inter dolores consolari facilé possit, non sit tenax in dispensando, non prodigus in largiendo, & quamuis ipse non teneatur ad silentium in infirmaria, curare tamen debet ne multiloquio cuiusquam infirmi grauentur, sæpè Priorem faciat certiorem de remissione, vel ingrauescentia morborum, & ab ipso confidenter petat quidquid opus fuerit ad infirmorum valetudinem recuperandam, demum nihil omittat eorum quæ ei præter infra dicenda præscribuntur, cogitans semper se in illis seruire soli Christo dicenti *quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.*

§. 2.

Prior circa fratres infirmos siue Nouitios, siue professos, siue suæ familiæ sint, siue non sint maximam adhibeat sollicitudinem tam in spiritualibus, quam in temporalibus ipsis de consensu suorum vocalium prouideat de Medico sufficiente, & infirmaria sana quæ lectulos habeat linteamine, vel panno (si fieri possit) circumcinctos, & alia superlectilia, & vtensilia necessaria iuxta qualitatem Conuentus, quæ etiam sit à fratrum dormitorio segregata, iuxta quàm (si fieri possit) sit Capella in qua saltem diebus festiuis missam audire,& sacrosanctum Iesu-Christi, corpus quoties opus fuerit deuotè sumere possint.

§. 3.

Curet quoque sollicitè Prior nè aliquid desit quod infirmorum expediat necessitati, quod ei tam strictè præcipimus, vt etiam mandemus ei de consensu Patrum Consilij potius apud creditores debita contrahere, vel etiam Conuentus supellectilia distrahere, & vendere quam remedia

Infirmis

Infirmis necessaria negligere.

§. 4.

Eos sæpè, & quotidie visitet, & discat ab eis si quid ipsorum necessitati, vel consolationi Infirmarij, aut alterius negligentia desit, ipsosque ad patientiam exercendam, & ad sacramenta sæpè, ac ritè sumenda hortetur, eosque pro viribus consoletur in Domino, & si talis fuerit eorum infirmitas, vt orationi serotinæ interesse nequeat strictè præcipimus Priori, ne cubitum eat quin priùs ad cuiuslibet infirmi cellam fuerit, ibique dicto. *Pax huic domui,* cum oratione,*visita quæsumus Domine, &c.* Aspergat eum aqua benedicta, eique dicenti per se, vel per infirmarium, aut alium qui pro tunc ibi adest, *Benedicite Pater,* benedicat dicendo, *noctem quietam, &c.* Postea verò si morbus sit grauis, vel periculosus de fratre, vel patre propè ægrotum vigilante, si quis sit charitatiuè prouideat.

§. 5.

Prior qui in supradictis negligens extiterit, ægrotos raró visitauerit, eisque necessaria non subministrauerit, suspendatur ab officio, imò indispensabiliter priuetur, atque inhabilis fiat ad omnia officia, quovsque per Capitulum generale, vel Prouinciale cum ipso fuerit dispensatum,si ex hac negligentia, & incuria sufficienter probata, mors, defectus Sacramentorum, vel graue aliquod incommodum infirmo subsecutum sit,quod si Prioris Superiores in eo puniendo negligentes extiterint, ipsi quoque, eadem inhabilitatis pœna afficiantur, & à diffinitorio Capituli generalis, vel Prouincialis grauiter puniantur.

§. 6.

Cum autem in infirmorum persona visitatum censeat se Christus sitque in vltimo tempore dicturus, *infirmus fui & visitastis me*, ne in hoc opere misericordiæ deficiant cœteri fratres etiam subditi hortamur eos in Domino, vt infirmos sæpè visitent horis & temporibus commodioribus, habita tamen prius Superioris licentia, qui eam raro denegabit, præcipuè tamen concedet iis quos nouerit hoc postulare, non tam ob recreationem propriam, quam ob consolationem, & obsequium infirmorum, & illos potiùs, & sæpiùs mittet quibus infirmos maximè crediderit ædificari, affici, & oblectari.

§. 7.

Quia autem *virtus in infirmitate perficitur* (teste sancto Paulo) tunc se prædicante fortiorem cum erat infirmior, fratres infirmi patientiam, tum interiorem, tum exteriorem conseruare conentur ne exhibendo se impatientes Deo displiceant, & fratres pro Christi amore sibi inseruientes contristentur, & ideo in ciborum, & remediorum vsu, vel delectu, & in cæteris, quæ ad ipsos pertinent tam infirmario, quam Medico libenter obediant: Quando verò primam sanitatem recuperauerint, redeant ad fœliciorem consuetudinem suam, si quis autem aliquas habuerit infirmitates ex leui causa prouenientes, quæ nec vires minuant, nec comedendi appetitum perturbent, talis nec consueta ieiunia frangat, nec cibos Refectorij respuat, nisi omnino aliter Superior, vel Medicus præceperint, & præscripserint.

§. 8.

§. 8.

Quandò balnea Medico iubente fuerint infirmis necessaria (si sit possibile) fient intra Monasterium: si verò propterea egrediendum sit infirmo prouideatur de vno, vel duobus probatis sociis: Cæteris autem fratribus balnea omnia, etiam naturalia interdicimus sub pœna culparum grauium vel etiam grauiorum iuxta circumstantias occurrentes, nisi Superior pro qualibet vice expresse permiserit.

§. 9.

Nemini liceat medicamina secularibus ordinare sine licentia Vicarij generalis, vel Prouincialis, sub pœna culpæ grauis, vel grauioris iuxta circumstantias.

CAPVT V.

De cura circa moribundos, & mortuos adhibenda.

§. 1.

Quia ideo tantùm Mundo crucifigimur, & morimur, vitam nostram abscondentes in Christo. vt cum Christo viuentes, in Christo mori facilè possimus, curemus in primis vt morte imminente, & Sacramentis iam antea humiliter petitis, & piè receptis fratribus adstantibus patientiæ, fortitudinis, fidei, & pœnitentiæ præbeamus exemplum, expectantes beatam spem, & aduentum Domini.

§. 2.

Curent præterea Priores, vt ingrauescente subditorum morbo, præsertim si talis fuerit, vt vsum rationis probabiliter impedire possit, & iuxta iudicium Medici vitam extinguere antequam rationis vsu priuetur, illos de statu Morbi, & vitæ periculo prudenter admoneant, omnibusque Sacramentis ad hunc transitum necessariis muniri faciant, & inquirant ab eis, an teneantur alicui restituere bona, vel famam, aut si aliquis teneatur eis, si sciant aliquid per quod possit, nisi prouideatur Congregationi scandalum generari, aut si alicubi habent aliquid repositum quod ipse Prior ignoret.

§. 3.

Diù, noctúque custodem habeat, qui est in euidenti periculo mortis, quando vero infirmus laborat in extremis, prior per se, vel per alios Patres ad hoc aptiores diù, noctúque propè ipsum aderit, & eum ad pugnam instruat, & confortet iuxta scripturam dicentem, *consolare mortuum in exitu spiritus sui.*

§. 4.

In hora transitus ad signum infirmarij conueniant omnes pro commendatione animæ simul recitanda.

§. 5.

Paulò post transitum exuatur vestibus, & lauetur à fratribus quibus hoc charitatis opus Prior iniunxerit, & post lotionem habitu iterum indutus ponatur in feretro vt deferatur ad locum ordinatum habens præ manibus crucem, & si fuerit Sacerdos stolam in loco solito, apponantur

iuxta

iuxta eum luminaria, Crux, & vas cum aqua benedicta, & aſperſorio, fratreſque bini ſucceſſiuè à Priore per horas diuidantur, qui iuxta cadauer ſimul orent, ita vt nunquam deſeratur vſque ad ſepulturam, quæ in caſu mortis ſubitaneæ, & improuiſæ (quod Deus auertat) non fiet niſi poſt viginti quatuor horas, & tunc vtemur cæremoniis in ordinario præſcriptis.

§. 6.

Poſt ſepulturam Prior in proximo Capitulo hortabitur fratres, vt debita ſuffragia ſoluant, monebit præterea Vicarium Generalem & Prouincialem de fratris deceſſu, vt iſte per ſuam Prouinciam, & ille per alias omnes conſueta ſuffragia pro eo fieri procuret.

§ 7.

Hæc autem ſunt ſuffragia, quæ pro quolibet fratre defuncto fieri præcipimus. In Conuentu quo obiit diem ſuum, qui à Sacriſta & Priore notabitur, recitabitur quinquies in choro officium defunctorum ſub ritu duplici, nimirum in die obitus, in medio Eccleſiæ circa corpus, deinde in die tertio poſt obitum, ſeptimo, trigeſimo; & anniuerſario, In cæteris autem totius Congregationis Conuentibus ſemel tantum. Quoties autem recitabitur officium duplex toties, & dicetur pro eo miſſa Conuentualis, in qua omnes non ſacerdotes accedant ad ſacram Synaxim. Poſt hæc quilibet ſacerdos Prouinciæ in qua mortuus eſt tres miſſas pro eo quamcitius celebrabit, & quilibet non Sacerdos ter officium defunctorum iuxta modum vnicuique præſcriptum in ordinario, & ſemel ſacram Euchariſtiam

ſumet vt ſupra. In aliis autem Prouinciis, & Conuentibus earum, præter officium chori, Miſſam Conuentualem, & Communionem quilibet ſacerdos vnam pro eo miſſam celebrabit, & quilibet non ſacerdos vnum officium: Si autem qui deceſſit eſſet Vicarius generalis, pro eo in quolibet Conuentu Congregationis dicentur eadem officia quæ in Conuentu deceſſus ordinata ſunt, & idem pro Prouinciali in Conuentibus ſuæ Prouinciæ intelligendum eſt: Si verò qui deceſſerit fuerit Nouitius in Prouincia cuius eſt Nouitius dicentur officia, & Miſſæ tanquam pro profeſſo, ſed aliæ Prouinciæ ad nihil obligabuntur.

§. 8.

Cum mortuorum ſepultura tamquã maximum miſericordiæ opus fidelibus commendetur, in Eccleſis noſtris etiam ſeculares mortuos ſepeliri non prohibemus: Præcipimus tamen Priori ne aliquos admittat niſi de conſenſu vocalium, nec totam familiam, niſi de licentia diffinitorij Capituli Prouincialis, ita tamen vt fratrum Sepultura à ſepultura ſecularium ſit diſtincta.

§ 9.

Præcipimus præterea, & mandamus nè vnquam ad ſepeliendos ſeculares fratres noſtri vltra Monaſterij clauſuram egrediantur, ſed tantum eorum corpora recipiant ad portam Eccleſiæ ſub pœna culpæ grauioris tranſgreſſoribus infligenda, & priuationis officij ſuperioribus qui in hoc conſenſerint; ſi tamen aliquando cum Religioſis aliarum Congregationum, & ſimilis reformationis fuerimus inuitati ad ſepulturam alicuius Epiſcopi, Principis, & ſimilium illuſtrium perſonarum,

narum, vel etiam fundatoris alicuius noſtri Conuentus ire non recuſabimus.

CAPVT VI.

De correctione fraterna, & offenſæ remiſſione.

§. 1.

QVoniam ex ſola charitate ortum debet habere charitas, præter ea quæ in capite de viſitationibus exprimuntur, caueant fratres noſtri nè per vindictam, vel alium motum vitioſum licere ſibi putent contra charitatis ordinem præcipuè lethalia fratrum ſuorum, vel etiam aliorum peccata detegere, in medendis enim animæ vulneribus non minus cautè, & prudenter agendum eſt quam in corporeis: Medici ſiquidem leuiora primum medicamenta adhibent; ad aduſtiones autem, & membrorum abſciſiones non niſi tardè, & inuitè progrediuntur; ita fratres noſtri quantùm fieri poterit medeantur animabus, & parcant delinquentium famæ: ſequentes in hac parte formam nobis in regula à ſancto Patre Auguſtino præſcriptam videlicet.

§. 2.

Vt antequam occultum alicuius peccatum aliis manifeſtetur prius correctionem fraternam adhibeant, ſi quouis modò profuturam ſperent inter ſe, & ipſum delinquentem ſolum, vel certè Præpoſito oſtendant, à quo tanquam Patre ſecretius accipiatur.

§. 3.

Vbi verò in idipſum facere iterum viderint, iam velut vulneratum ſanandum prodat quicumque hoc potuerit inuenire; nè tamen talis in ſua probatione deficiat, prius eſt alteri, vel etiam tertio demonſtrandum, vt duorum vel trium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri.

§. 4.

Qui contra prædictam formam alicuius peccatum non publicum prodidiſſe conuictus fuerit, pœnam grauem, vel omninò grauiorem ſubire cogatur iuxta peccati ſic detecti grauitatem, & circumſtantias.

§. 5.

Qui verò contra aliquem falſos ſparſerit rumores à Vicario generali, vel Prouinciali grauiter puniatur, imò ſi per rumores huiuſmodi famã notabiliter læſerit grauioris culpæ pœnæ ſubiaceat.

§. 6.

Quod verò attinet ad offenſæ remiſſionem docet Sanctus P. Auguſtinus in Regula qualiter nos habere debeamus, ſcilicet, aut nullas lites habentes, aut eas quam celerrimè finientes, adeo vt ſi aliquis conuitio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem lęſerit? meminerit quantòcius ſatisfactione curare quod fecit ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, ille etiam qui læſus eſt debet ſine diſceptatione offenſam dimittere, & vt ait Apoſtolus, *vincere in bono malum.*

§. 7.

Si autem inuicem ſe læſerint, inuicem etiam ſibi

ſibi debita relaxent; quod ſi offendens in venia petenda negligens fuerit, vel offenſum in offenſæ remiſſione, hortamur ſeriò fratres omnes, vt orationibus, ſuaſionibus, vel etiam increpationibus ſuis eos quamcitius reconcilient; conſiderantes quod qui odit fratrem ſuum homicida eſt, & in ſtatu continuo damnationis.

§. 8.

Qui poſt offenſam non vult petere veniam, aut ex animo non petit, ſine cauſa eſt in Monaſterio, & qui offenſam fratri remittere pertinaciter recuſat, non Religioſi, ſed nec Chriſtiani quidem nomine dignus eſt: & ſi cohortatus ſe emendare neglexerit à cœterorum conſortio reiiciatur, & carceri mancipetur; vbi pane, & aqua ſolũ reficiatur quovſque fratri ſuo veniam petere, vel debitum remittere ſit paratus. Si verò (quod Deus aduertat) hanc iram ſequatur percuſſio ſeuerius puniatur iuxta caput vndecimum quartæ partis.

CAPVT VII.

De ſtudentibus, & litterarum Profeſſoribus.

§. 1.

ALiud charitatis officium eſt ignorantes docere, & ideo ſtatuimus, vt in Capitulo Prouinciali; intermedio, vnum, vel plura Monaſteria deputentur iuxta numerum ſtudentium in

quibus Philoſophia & Theologia prælegantur.

§. 2.

Priores horum Conuentuum tametſi non probamus (ſi aliter fieri poſſit) vt ipſi lectoris, & Prioris officio ſimul fungantur, debent tamen, vt plurimum tales eligi, qui in hoc genere ſtudiorum maximè ſint verſati, ita vt ſtudiis, etiam & diſputationibus quandoque cum fructu intereſſe, vel etiam præeſſe poſſint, eos autem quicumque ſint, hortamur in Domino, vt ſicut Congregationis honorem, & ſtatum diligere debent, ita litterarum ſtudium ſollicitè, & ardenter foueant tum ſtudentibus, tum lectoribus, pij & fauorabiles aſſiſtant, nec ſtudia ſiue totius Claſſis, ſiue cuiuſlibet peculiaris ſtudentis impediant, aut perturbẽt, niſi quaſi inuiti, & in neceſſitate prorſus ineuitabili.

§. 3.

Et ideò in familiarum diſpoſitionibus prouideatur Conuentibus ad ſtudia deputatis de ſufficientibus Confeſſariis, Clericis, Conuerſis, & Commiſſis pro manutentione domus neceſſariis, nè Priores locales ſtudentibus vti neceſſitate cogantur.

§. 4.

Lectores à Capitulis Prouincialibus ſiue intermediis eligantur, qui ſint ingenio, & doctrina præſtantes, pietate verò præſtantiores, qui primò doceant diſcipulos initium ſapientiæ, id eſt timorem Domini, quique eos continuò ad cultum diuinum, ad bonos mores, ad pacem inter ſe, & cum aliis, & ad obedientiam Superioribus præſtandam verbo inducant, & exemplo, plurimum ſiquidem refert quibus committantur te-

nera

nera & flexibilia iuuenum ingenia ; ſicut enim Magiſtri ſanctitas redundat in diſcipulos, ita etiam nimia morum ipſius libertas in eorum perniciem tendit.

§. 5.

Lectoribus autem huiuſmodi ſubſidia temporis, corporis, librorum, & alia quælibet lectionibus præmeditandis, & faciendis neceſſaria pro poſſibili concedantur.

§. 6.

Ad hæc ſtudia Philoſophiæ vel Theologiæ illi tantum admittantur qui valetudine, modeſtia humilitate, aliiſque virtutibus præſtabunt, & qui vnum à profeſſione annum, (niſi propter inchoationem curſus per duos menſes diſpensetur à Prouinciali,) expleuerint ſuper quo aliter, nec ipſis Capitulis generalibus diſpenſare licitũ ſit, & ideo dum nouus ſtudiorum curſus inchoandus erit, ſi ſtudentes in Capitulo prouinciali non electi fuerint, & nominati, Prouincialis eos eligat, ſi vero curſu iam incepto aliquis addendus fuerit, id fiet à Prouinciali, modo tamen prædictas conditiones habuerit, nec alias fuerit à Capituli Diffinitorio nominatim improbatus.

§. 7.

Studentes officio diuino, & orationibus ſemper interſint Prouincialis cum illis alternatim aliquando diſpenſare poſſit: Eis ante matutinum ſtudere cum lampade non liceat, neque poſt Matutinum niſi de licentia ſuperioris.

§. 8.

Circa medium curſus quotannis à Prouinciali, vel alio ab eo deputato Priore locali, & lectore

examen

examen fiet ſuper profectum ſtudentium, tam quoad mores, quam quoad ſcientiam, per vota ſecreta, & quos in aliquo eorum non proficere judicauerint à ſtudiis amoueant.

§. 9.

Ad fœlicem etiam progreſſum ſtudiorum monemus lectores, cœteroſque fratres omnes à queſtionibus ſuperfluis: & inutilibus, & à nimiis ſubtilitatibus abſtinere: opiniones malè fundatas, & nouitatem præſe ferentes fugere, & præcipuè Diui Thomæ, & ægidij noſtri Romani doctrinam ſequi tam in Philoſophicis, quam in theologicis excepta opinione de Conceptione Virginis, & paucis aliis, ac quæ in ſumma docuit præferant, iis quæ alibi docuit.

§. 10.

In omnibus etiam Conuentibus noſtris fiet iuxta mandatum fœlicis recordationis Clementis Octaui lectio ſcrpturæ ſacræ, Theologiæ moralis omnibus diebus dominicis, & feſtiuis, cui omnes intereſſe tenebuntur, nec ab ea vllus ſe abſentare poſſit ſine expreſſa Prioris licentia, vt amplius dicetur in Capite de confeſſariis.

§. 11.

Quod ſi aliquis præfatorum lectorum tam Philoſophiæ, quam Theologiæ, vel quicumque alius lector extra tempus Capituli morte præuentus fuerit, vel ob culpam ſuam eo munere priuatus, aut ſuſpenſus Prouincialis poterit alium in ipſius locum ſubſtituere, vſque ad Capitulum Prouinciale, vel intermedium.

CAPVT

Capvt VIII.

De Sacerdotibus & ordinibus.

§. 1.

QVamuis Clerici de sola Prioris licentia minores ordines suscipere valeant, ad nullum tamen ex sacris promoueri possint nisi ætatem habeant pro quolibet ordine præfixam, & alia à Concilio tridentino requisita; ac præterea vocalium Conuentus approbationem, & Prouincialis licentiam in scrptis obtentam.

§. 2.

Ante susceptionem cuiuslibet ordinis Prior localis promouendum proponet omnibus vocalibus sui Conuentus; deinde propositum aduocabit, vt ibi in omnium præsentia ab examinatoribus examinetur, eo autem examinato, & egresso de scientia & moribus simul fiet ab omnibus vocalibus vnica ballotatio ad eum approbandum, vel reprobandum iuxta scientiæ sufficientiam, & morum probitatem, & si fuerit approbatus approbationis eius actus registrabitur in libro Conuentus eiusque extractum mittetur à Priore ad Prouincialem: quod si neque ab illo improbatus, vel dilatus fuerit cum eius obedientia Episcopo præsentetur, nec fiet vnquam prædicta ballotatio quin prælegatur vocalibus præceptum quod habetur hac de re in tertia parte capite primo, paragrapho decimo quinto, neque quin

quin prius eis de promouendorum ætate in scriptis constiterit.

§. 3.

Dum clericus aliquis ab vna familia in aliam transmittetur, teneatur Prior vocales sui Conuentus capitulariter congregare, vt si in Conuentu à quo discedit piè, & religiosè vixerit, dent ei simul circa probitatem, & bonos mores litteras testimoniales omnium nomine subscriptas, & Conuentus sigillo munitas: Clericus qui huiusmodi litteras obtinuerit præsentabit eas Priori locali ad cuius conuentum accedit; vt ipsas in librum Conuentus inserat, & registret: qui non obtentis huiusmodi litteris ab vno Conuentu in alium iuerit, in hoc non nisi post sex menses pro sacris ordinibus ballotari possit, & approbari.

§. 4.

Nullus etiam ad Sacerdotium in nostra Congregatione promoueatur nisi compleuerit tertium post professionem annum, & super hoc quidem triennio Vicario generali post primum professionis annum dispensare licebit, non tamen ante, nec post sine causa plusquam rationabili, & non nisi in maxima Congregationis necessitate, ac præterea dummodo præfatæ approbationes non omittantur; intra annum vero Nouitiatus omninò interdicimus quoscumque ordines cuiquam conferri.

§ 5.

Nec Vicario generali, nec Prouinciali liceat contra prædictam formam mittere ad aliquem sacrum ordinem; alioquin sic ordinatus ab exe-

cutione

cutione ſuſcepti ordinis ſuſpenſus maneat vſque dum per Capitulum generale, vel Prouinciale cum eo diſpenſatum fuerit. Prior autem qui aliquem ſine expreſſa Vicarij generalis, aut Prouincialis licentia etiam cœteris ſeruatis ad ſacros ordines miſerit officio ſuo ſine remiſſione priuetur.

§. 6.

Qui iam fuerint Diaconi ab aliquo Sacerdote maximè experto exercebuntur in Miſſarum cæremoniis, & rubricis, nec quiſquam Sacerdos factus accedat ad altare quin eas perfectè, & expeditè ſciuerit iudicio Prioris.

§. 7.

Prima Miſſa celebrabitur in publico; octo verò immediatè ſequentes priuatim, & aſſiſtente ſemper alio Sacerdote, vt præueniantur pericula, quæ in principio facilè emergunt; & ſi quas Miſſas nouo Sacerdoti iniunxerit dicendas Epiſcopus ordinans ſatisfaciat quantòcitiùs, & impoſterum ipſe, & cœteri iuxta ritum Miſſalis Romani, & ordinis noſtri quotidie celebrare teneantur; ſemper autem ſecundum intentionem, & applicationem Prioris niſi ipſe, vel illius Superiores aliter permiſerint, exceptis tamen quatuor anni feſtiuitatibus, in quibus Miſſas ad libitum applicari concedimus. In die cœnæ Domini omnes Sacerdotes de manu Superioris communicent.

* * *

CAPVT IX.

De Confessariis, & Confessionibus.

§. 1.

VT etiam Confessarij nostri docere possint ignorantes, & dubitantibus rectè consulere, examinationes, atque approbationes in præcedēti capite, paragrapho secundo requisitas, atque etiam strictiores iuxta periculosioris officij rationem circa eos eodem modo fieri præcipimus, sicut & prælectionem præcepti quod habetur in tertia parte, capite primo. Conscientiam Vicarij Generalis, Prouincialis, Priorum, examinatorum cœterorumque vocalium super hoc specialiter onerantes, quatenus ad tam graue, & tam arduum munus non admittant nisi Religiosos professos; ac præterea doctrina, pietate, moribus, ac ætate etiam quantum fieri poterit præstantes, qui post vocalium approbationem, & Vicarij Generalis, vel Prouincialis licentiam in scriptis obtentam tenebuntur etiam præsentare se Episcopis Diocesanis, aut eorum Vicariis.

§. 2.

Ad Confessiones mulierum nullus admittatur ante trigesimum suæ ætatis annum, nisi de speciali licentia admodum Reuerendi Patris Vicarij Generalis ab eodem cum magna consideratione concedenda: iis tamen exceptis, qui officiis generalibus, & prouincialibus funguntur.

§. 3.

Nullus præterea ex Confessariis supra approbatis,

batis, actualiter in Ecclesiis nostris vel alienis sæcularium personarum etiam priuilegiatarũ Confessiones audire possit sine speciali pro qualibet vice (si Priori videbitur) ad hoc ab eodem obtenta licentia quam etiam si ipsi visum fuerit quandoque reuocare possit. Qui aliter Confessiones audierit pro prima vice priuetur voce actiua, & possiua per mensem, pro secunda suspendatur ab hoc munere vsque ad tempus visitationis; vel donec Vicarius Generalis, aut Prouincialis aliter ordinauerint.

§. 4.

Prior etiam non erit facilis in concedenda sibi subditis Confessariis crebriori licentia extra Monasterium egrediendi Confessiones audiendi gratia; & in tali casu prouidebit confessario de fideli approbatoque socio, qui eum semper in prospectu habeat, & si loci angustia non patiatur, vt in eodem cubiculo remaneant, à porta saltem non recedat, ita vt ipsum videat, & verba tamen Confessionis non audiat, & in hoc præfati socij conscientiam maximè oneramus.

§. 5.

Nulli ex nostris liceat excipere Confessiones Monialium sine licentia in scriptis Prouincialis, in casu tamen aliquo particulari poterit hoc fieri semel, aut bis de licentia Prioris, & per spatium vnius mensis de consensu patrum Consilij, sed non vltra.

§. 6.

Confessarij nostri extra confessionalia pœnitentium conuersationem, & familiaritatem præsertim mulierum deuitent, super quo etiam Prio-

res diligenter inuigilabunt, nè dum ſubditi aliorum ſaluti inuigilant animæ ſuæ patiantur detrimentum. Gratis etiam pœnitentiæ Sacramentum conferant, & ab aliis etiam munuſculis abſtineant.

§. 7.

Confeſſionalia ſint in loco patenti habentia in lateribus laminas, vel aliquid ſimile ferreum, aut ligneum cum foraminibus, per quæ vox pænitentium commodè audiri poſſit; nec extra ea in Eccleſia cuiuſquam Confeſſiones liceat excipere.

§. 8.

Præterea quæ de confeſſionibus Nouitiorum dicta ſunt in Capite ſecundo primæ partis, Prior ſeleget duos, aut tres confeſſarios, vel quotquot opus fuerit ad audiendas Confeſſiones aliorum fratrum ſibi ſubditorum, tam ſacerdotum quam aliorum, præter quos nullus in Conuentu Confeſſiones cuiuſque audire præſumat ſub pœna culpæ grauis infligenda tam Confeſſario, quam pænitenti, qui ſic ſciens alteri confeſſus fuerit. Ad hoc autem ſuperior localis approbare, & nominare poterit ſine alterius authoritate, & conſenſu quoſlibet ſacerdotes ſibi ſubditos quos in conſcientia aptos iudicarit, & idoneos.

§. 9.

Locus pro Confeſſionibus fratrum audiendis deſignabitur à Priore in Eccleſia, Choro, Sacriſtia, vel alio loco publico, exceptis confeſſionibus infirmorum decumbentium.

§. 10.

Fratres noſtri tam ſani, quam infirmi confiteri,

teri, & Eucharistiam sumere tenebuntur omnibus diebus Dominicis, & festis quæ coluntur: in quatuor principalioribus festis nostri ordinis; nec non titularis Ecclesiæ, & duabus feriis diem cinerum immediatè præcedentibus; & in omnibus festis Deiparæ, etiamsi in illa diocesi non solemnisentur: si verò nullum occurrerit festum in hebdomada ad confessionem, & communionem accedent semper feria quinta, nisi aliquando (quod raro fiet) de consilio confessarij, & licentia Superioris humiliter abstinere visum fuerit: qui verò sine prædicta licentia ab his sacramentis abstinuerit pane solo, & aqua in prandio reficiantur.

§. 11.

Inhibemus omnibus Religiosis confiteri Sacerdotibus extraneis dum copiam nostrorum Sacerdotum habere possint sub pœna culpæ grauis; Itinerantes tamen præsertim, si socius non fuerit Sacerdos liberè, & licitè omnibus sacerdotibus tam regularibus, quàm non regularibus dummodo sint ab ordinariis admissis confiteri possint, vel confessariis sui Conuentus (si qui adfuerint,) vel confessariis deputatis pro Conuentu vbi hospitantur.

§. 12.

Solis Superioribus in Congregatione nostra licebit absoluere à Casibus reseruatis ad normam decreti fœlicis recordationis Clementis octaui, qui etiam dabunt absolutionem quam vocamus generalem sequentibus diebus. In prima Dominica aduentus, Natiuitatis Domini: In die Epiphaniæ In Purificatione Beatæ Mariæ.

In Prima, & quarta Dominica quadragesimæ; In Annunciatione Beatæ Virginis: feria quinta in Cœna Domini: In Dominica Resurrectionis: In festis Ascensionis, & Pentecostes: In festo Corporis Christi; In Natiuitate Sancti Ioannis Baptistæ: In festo Apostolorum Petri, & Pauli: In Assumptione Beatæ Mariæ Virginis: In festo Sancti Patris Augustini: & in festo Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis: Michaëlis Archangeli; In solemnitate omnium Sanctorum: & in mensibus in quibus non occurrit festum pro hac absolutione generali destinatum, fiet Dominica prima eiusdem mensis. Per Superiores autem intelligimus Vicarium Generalem, Prouincialem, & Commissarios eorum, ac præterea Priores locales, & in eorum absentia plusquam per diem naturalem eorum Subpriores, Vicarios Conuentuum, & hospitiorum, nec non primum patrem, qui post supradictos in illis præsidet: Si autem Prior in vigilia alicuius absolutionis generalis egrederetur è Conuentu, & extra vrbem pro illa danda suo tempore non reuersurus etiamsi subprior nondum locum, nec Præsidentiam Prioris sumpserit viginti quatuor horis nondum elapsis, absolutio tamen generalis ipsi reseruatur. In omnibus diebus absolutionis generalis omnes fratres vel celebrent, vel communicent; & post celebrationem, vel communionem genibus flexis dicant orationem, *Deus omnium fidelium*, &c. aut orationem Dominicam si prædictam nesciuerint pro conseruatione status Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Romani Pontificis pro tempore existentis.

§. 13.

§. 13.

In abſolutionibus generalibus quæ dant poteſtatem Confeſſariis etiam inferioribus pro abſolutione caſuum reſeruatorum poterunt fratres eligere ſibi confeſſarium quemlibet etiam ſi non ſint ex nominatis à Superiore, imò quamuis ibi ſint tantum per tranſennam, modo tamen alias ſaltem ad Religioſorum Confeſſiones audiendas alicubi fuerint approbati, & tunc non ſint priuati, aut legitimè ſuſpenſi.

§. 14.

Extra diem abſolutionis generalis ſi Superiores ſe nimis difficiles præbuerint facultatem concedendi, vt quis abſoluatur à reſeruatis poſtquam fuerint, vel à confeſſariis, vel à pænitentibus primò, aut ſecundò rogati ex nunc confeſſariis approbatis, & nominatis ab eis abſoluendi pro ea vice facultatem concedimus.

§. 15.

Cauebunt & Priores, & Confeſſarij in pænitentiis iniungendis ne alicui publicam aſſignent, aut talem perquam iudicium, aut ſuſpicio peccati alicuius oriri poſſit, alioquin cuilibet Confeſſario facultatem impertimur, vt eam in aliam commutare poſſit.

§. 16.

Conſcientiæ caſus, vel à venerabili lectore, vel ab aliquo alio ex Patribus ad id munus idoneo, & deputato exponantur quam lectionem ne dum in Gymnaſiis omnibus, ſed etiam in omnibus Monaſteriis vbi decem fratres ad minus commorantur haberi volumus & mandamus, huic autem lectioni omnes Sacerdotes inferio-

res interesse teneantur, & si quis sine licentia Prioris ab ea se absentauerit, vel interesse renuerit à Priore puniatur, & ad confessiones non admittatur, & si iam fuerit admissus suspendatur, imò si durauerit pertinatia priuetur, poterit etiam Prior si voluerit aliquem clericum modestum, & iam ætate prouectum, & ad Sacerdotium proximè accedentem admittere vt ibi dubiorum resolutiones audiat, & addiscat.

§. 17.

Hoc autem fiet in hunc modum, tres casus ab aliquo idoneo, & à Priore assignato proponantur, quibus respondebunt ij quos Prior, vel Præsidens tunc nominabit, post responsionem verò, & agitationem alicuius casus is cui incumbit casus proponere determinationem leget alta voce, in aliqua summa docta, & approbata, cuius opinionem sequi proposuerit de consilio, & consensu Prioris, vel alterius cui Prior hoc commiserit, Prior qui in hac conferentia facienda negligens fuerit à Vicario Generali, aut Prouinciali seuerè corrigatur imò, & suspendatur.

CAPVT X.

De Concionatoribus.

§. 1.

OMnia quæ supra de Sacerdotibus, & Confessariis fuerunt dicta tum quoad Vicarij generalis, aut Prouincialis, tum quoad examen, &

& vocalium approbationem pro doctrina, & pietate volumus in eligendis Concionatoribus obseruari, eorum enim officium maximam vitæ sinceritatem, & diuinarum rerum cognitionem expoſcit, & ideo hi tantum eligantur & approbentur in quibus maximus pro Dei, & honore, & animarum ſalutè zelus apparuerit, & qui per aliquot annos, vel priuatim, vel publicè Theologiæ ſcholaſticæ operam dederint, ac præterea aliquam coram fratribus in refectorio, vel alibi coram vocalibus concionem habuerint, nè defectu ſcientiæ, pietatis, & exercitij Concionando errores ſpargant, & publicè eorum conciones cedant in detrimentum populorum, & Congregationis deriſum. Superiores autem qui contra prædictas approbationes, & formas aliquem ex ſubditis ad prædicandum miſerint, ab officiis ſuſpendantur, & pœna grauiori mulctentur; idem iudicium ſit de ſubditis ante prædictas licentias, & approbationes prædicantibus.

§. 2.

Poſt ſupradictam Vicarij Generalis, aut Prouincialis licentiam, & vocalium ballotationem, & approbationem, cui ſemper præmittetur lectio præcepti quod habetur in Capite de electionibus, paragrapho decimo quinto poterunt. Concionatores actualiter prædicare per annum, ſiue in Eccleſiis noſtris, ſiue alienis etiam octauas integras de ſola Prioris licentia, & ordinariorum benedictione, vel licentia reſpectiuè, Prouinciali expreſsè non contradicente. Nulli tamen licebit ad totum aduentum, vel quadrageſimam

integram se, vel alium alicubi adstringere, nec vlli liceat Diacono actualiter prædicare quin Vicarij generalis, aut Prouincialis licentiam obtinuerit sub pœna culpæ grauioris infligenda tam secus facienti, quàm Priori id permittenti.

§. 3.

Concionatoribus qui per aduentum, vel quadragesimam prædicare debuerint concedantur à Priore necessaria temporis, corporis, librorum, & animi subsidia, vt Conciones suas præmeditentur quatenus facilius, vtilius, & diutius hoc officium ad Dei gloriam & Congregationis honorem exercere valeant, quod & in aliis omnibus Concionibus per annum faciendis proportionaliter locum habere volumus.

§. 4.

Meminerint autem Concionatores se de talento sibi credito rationem reddituros coram supremo iudice, si vel labori suo pepercerint, vel ei finem debitum non proposuerint, & ideo solum diuini numinis cultum, & salutem animarum intendentes à superfluis, curiosis, & fabulosis abstineant, & iis tantum studeant quæ peccatorum conuersioni, vel iustorum solatio vtiliora videbuntur; & vna cum Hieremia propheta vitiis bellum verbo, & opere simul indicentes euellant, & destruant, disperdant, & dissipent, ædificent, & plantent, famæ tamen singularium personarum maximè Ecclesiasticarum parcant.

§. 5.

Vt autem liberius prædicatores nostri huic

chari

charitatis officio insistere possint, in quantum fieri poterit, immunes sint ab officiis cum cura animarum quæ residentiam personalem exquirunt nisi, Congregationis bonum aliter exigere videatur.

§. 6.

Qui ad prædicatorum officium electi sunt postmodum actualiter prædicare recusant, vel quia de facto non sunt idonei, vel quia nolunt, officio prædicatorum priuentur: qui verò errores inter prædicandum seminauerit, Inutilia, vel vana prædicare in vsum duxerit inter prædicandum irreligiosè vixerit, aut alias tum corporis, tum animi dotes huic officio rectè faciendo necessarias non habuerit debet per Prouincialem, vel etiam per Priorem de consensu vocalium suspendi, donec iterum huic muneri per Capitulum prouinciale, vel intermedium fuerit restitutus.

§. 7.

Nè autem Concionatorum talentum mortuum & inutile, tum Ecclesiæ, tum Congregationi relinquatur quilibet Prouincialis in sua Prouincia stationes quadragesimales, & Aduentus, vt iubetur ei in tertia parte, capite vndecimo, paragrapho quarto iuxta numerum, & qualitatem suorum Concionatorum retinere conetur, poterunt etiam aliquando Concionatores vnius Prouinciæ alteri communicari de consensu & licentia Vicarij generalis; vt per illam communicationem Prouinciæ indissolubili charitatis vinculo vnitæ mutuò se adiuuent, & in locorum distantia, & diuisione veram cordis coniunctionem, & vnicam pro Dei, & Congrega-
tionis

tionis zelo intentionem conſeruent.

§. 8.

Nullus Concionator extraneus in Eccleſiis noſtris actualiter concionetur niſi de vocalium conſenſu, ſi tamen agereretur de Aduentu, aut Quadrageſima tunc etiam conſenſus Prouincialis haberi debet.

CAPUT XI.

De Libraria.

§. 1.

ERit in ſingulis Conuentibus Bibliotheca claue clauſa in qua omnes libri aptè diſponi poſſint, cuius etiam cura committatur alicui fratri, qui libros à puluere, tinea, & humiditate conſeruet, & eos petentibus, ſine murmure Priore ſaltem non contradicente miniſtret.

§. 2.

Bibliothecarius initio officij ſui cum Priore, & Patribus conſilij, vel aliquo eorum rationem ineat librorum qui in inuentario continentur, quod, & idem faciet, quando ipſum officio cedere contigerit, quod ſimiliter à ſacriſta, & infirmario, & ſimilibus officialibus obſeruari volumus.

§. 3.

Nullus fratrum librum ex libraria extrahere audeat

audeat, Bibliothecario absente, vel inscio sub pœna culpæ grauis, quotiescumque continget fratrem aliquem librum de licentia illius ex libraria secum asportare ipse, vel certè Bibliothecarius tenebitur in Cathalogo ad hoc deputato notare nomen suum, librum, annum, diem, & mensem quibus eum ex Bibliotheca extraxit, quem etiam ad nutum Prioris reddet: quod à fortiori in personis secularibus locum habere volumus, nec etiam illis quibus libri commodabuntur, nisi de consensu Patrum Concilij, & habita schædula receptionis à recipiente signata, & à Priore, vel Bibliothecario tenenda dentur.

§. 4.

Si quis verò fratrum librum aliquem deturpauerit, vel in eo nomen suum, vel aliud quidquam scripserit: Bibliothecarius eum Priori indicet puniendum; ipse autem scribet initio omnium librorum nomen Conuentus cuius Cathalogo inscripti sunt, vel etiam nomen benefactoris, qui talem librum Conuentui donauerit, scribendo *ex dono talis N.*

§. 5.

Quod si in dicto Cathalogo reperiantur aliqui libri duplices, & non necessarij vendi poterunt, & eorum prætium in alios vtiliores conuerti de expressa licentia Capituli Prouincialis, illamque vocalibus requirentibus, sed non aliter. Si vero aliqui libri vnius Conuentus alteri Conuentui commodandi fuerint, sufficit consensus Prioris, & vocalium.

§. 6.

Vt autem præfata facilius obseruentur, & libri

bri in quolibet Conuentu conseruentur præcipitur per meritum salutaris obedientiæ Prioribus, ac etiam officialibus cuiuscumque conditionis, & aliis quibuslibet fratribus nè aliquem librum Conuentus ad librariam pertinentem alienare, vel subpignorare præsumant, nisi in casu supraposito; si quis autem contra fecerit excommunicationem eo ipso incurrat.

§. 7.

Interdicimus præterea sub eadem excommunicationis pœna omnibus, & superioribus & inferioribus alicuius scripta Philosophica, Theologica, Casuistica, Conciones, Collectiones, & alia huiusmodi notabilia per se, vel per alios dilacerare, deperdere, surripere vel detinere.

§ 8.

Vt autem fratrum scripta tam in absentia, quam in præsentia conseruentur, præcipimus Superioribus, vt si illa à fratribus iter aliquod suscipientibus consignata fuerint, ipsi eorum Curam gerant, & in hoc conscientiam eorum oneramus: ac præterea hortamur eos, vt cum omni diligentia, & charitate ea ad locum vbi religiosi commorantur transportari procurent.

TERTIA



TERTIA PARS CONSTITVTIONVM.

De Capitulis, electionibus, & officiis.

CAPVT I.

De Capitulis in genere.

§. 1.

PRÆTER conuocationem omnium Religiosorum tam vocalium quam non vocalium quæ communiter capitulum vocatur, & à Vicario generali Prouinciali, vel eorum Commissariis, aut à Superiore locali fieri solet pro ipsis corrigendis, exhortandis, & admonendis, aut pro exibendis aliquibus mandatis, & bullis aut similibus. Alia sunt in Congregatione nostra Capitula, de quibus hic agitur ad quæ soli, & certi quidã vocales per statuta determinati concurrere, & suffragari possunt. Et hæc sunt Capitulũ Generale Congregationis, Prouinciale, intermediũ & Conuentuale, quæ Capitibus particularibus explicabuntur.

§. 2.

§. 2.

Quicumque à Capitulis temerè exierit, aut præsens interesse renuerit ingressu talis Capituli iudicio Capituli per vota secreta priuetur, & ad ea quæ præposita sunt in eius absentia procedatur.

§. 3.

Præcipimus per meritum salutaris obedientiæ nequis vnquam reuelet extra Capitulum quælibet quæ intra illud relata, vel dicta fuerint, quæ alicui quocumque modo obesse, vel nocere, siue inter fratres discordias seminare possint, nisi Prouincialis, & diffinitores, & quicumque alij à Vicario Generali, Priores, & vocales à Prouinciali, aut eorum Commissariis de his quæ in eorum Capitulis acta fuerint iuridicè interrogentur.

§. 4.

Vt verò sciat vnusquisque vocalium quomodo in qualibet ballotatione, electione, consultatione, & quouis negotio in Capitulis tractando gerere se debeat, nec contra conscientiam, & Congregationis statuta aliquid agat, initio cuiuslibet Capituli Præsidens proposito negotio pertractando, vel electione facienda perlegat semper caput præsentium statutorum, in quo de re huiusmodi agitur, vel in genere, vel in particulari, vt si nouitius sit recipiendus, Concionator approbandus, officialis eligendus, Conuentus de nouo assumendus, aut quid simile faciendum sit, perlegatur Caput tractans de his rebus, nè ignorantia iuris actum aliquem particularem inualidum, aut Congregationi minus vtilem reddat.

§. 5.

§. 5.

Præsidentes denique Capitulorum nunquam poterunt eligi ad aliquod officium in eo Capitulo in quo præsidebunt, qui autem in eiusdem Capitulis, & electionibus debeant suffragia scrutari, dicetur dum in Capitulis in particulari.

CAPVT II.

De electionibus in genere.

§. 1.

ELectiones in Congregatione nostra sub duplici sunt differentia, prima & principalior dicitur Canonica: quando scilicet maior eligentium pars in vnius alicuius personæ electionem conuenit, verbi gratia, ex viginti suffragantibus vndecim, vel plura suffragia in vnum conueniunt, tunc enim in electione vlterius non fiet progressus, sed scrutatores calculatis suffragiis, & collatis cum numero suffragantium quem scire semper debebunt; si quidem inter se conueniant, primus scrutatorum sic electum publicabit, dicens alta voce. *In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amē. Anno Domini N. die verò N. Ego scrutator præsentis electionis nomine meo, & omnium ad quos præsens electio pertinet eligo, & pronuncio R. P. N. electum esse in N.* & illico facta electio notabitur.

§. 2.

Altera electio dicitur non Canonica in suple-

mentum primæ introducta: solet enim plerumque contingere vt voces, seu suffragia eligentium hinc & inde dispergantur, ita vt nullus eligendorum habeat vltra medietatem suffragiorum vt supra: In hoc casu post primam, & secundam experientiam super hoc factam, si electio canonica esse non possit, tunc ex omnibus eligentur illi duo Patres, qui præ cæteris plura suffragia in secunda experientia habuerint, vel vnus quidem plura, alij verò paria, tunc ex sic paribus præferendus erit ille, qui prior in nostra Congregatione professus fuerit, & horum duorum nomina scribentur, & proclamabuntur à primo scrutatore dicente; *Hi sunt illi duo Patres in quos plura suffragia conuenerunt, scilicet R. P. N. & R. P. N. vnum ex ipsis ad propositum officium eligite.* Hinc illis à Capitulo, si præsentes fuerint exeuntibus eorum nomina affigentur super duabus distinctis bursulis, seu vasis, & vnusquisque qui suffragari voluerit, illi fabam, vel ballotulam albam dabit, & nigram illi quem desiderat improbare, & tunc qui plura ex eis suffragia obtinuerit etiam citra medietatem publicabitur electus, vt supra; Quod iterum in paritate vocum conueniant, ille publicabitur electus qui antiquior fuerit in Religione, & confirmabitur à Præsidente dicente, *Ego authoritate qua fungor confirmo te, vel vos in N. dans tibi, vel vobis, authoritatem omnem, & potestatem quam cæteri in Congregatione nostra secundùm statuta habere consueuerunt qui hoc officio funguntur. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.*

§. 3.

In electione superiorum quorumcumque, & aliorum

aliorum officialium quo omnia rectè, & sine fraude fiant inhærentes decretis Sacrosancti Concilij Tridentini strictè præcipimus omnes supradictos eligi debere per schedulas, & vota secreta, ita vt singulorum eligendorum nomina nunquam publicentur, præterea non liceat ad effectum electionis faciendæ aliquem constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere; si autem quis ex gremialibus fuerit præsens in Conuentu in quo Capitulum celebratur; propter infirmitatem verò Capitulo interesse non possit, mittantur duo ex Patribus diffinitorij, qui in vase clauso votum secretò accipiant, & fideliter deferant cum cæteris perscrutandum.

§. 4.

Nullus autem in electionibus, aut alibi in Congregatione nostra vocem actiuam, vel passiuam habere possit quin sit Sacerdos, & iam triennium post professionem expleuerit super quo nullo modo dispensari possit sub pœna nullitatis. Sacerdotes verò non triennales & Clerici, qui vocem actiuam, vel passiuam habere contenderint ea perpetuò priuentur: Conuersi verò, & Commissi qui pro ea habenda elaborauerint iuxta Bullam, nuper, Vrbani Octaui, sub die vigesima octaua Martij, Millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, ipso facto priuati sint Capucio quoad vixerint, & Vicarij generalis, seu Prouincialis arbitrio castigentur.

§. 5.

Voce etiam actiua, & passiua penitus excludidimus omnes excommunicatos, irregulares, suspensos, vel interdictos à diuinis, malæ famæ Re-

ligiosos, infames, seu quouis alia de causa inhabiles declaratos.

§. 6.

Præterea nullus vocem actiuam habere possit, nisi sit præsens, nec possint absentes pro se procuratores, vel quouis alio modò deputatos ad effectum alicuius electionis constituere. Nullus etiam in vna, & eadem electione plures voces actiuas habere possit, nec voci suæ renunciare sub pœna priuationis actiuæ per biennium indispensabiliter. Nulli quoque liceat suffragium ferre in electione in qua ipse fuerit propositus, vel nominatus, neque sibi quauis alia via suffragari.

§. 7.

Duo vel plures in primo vel secundo gradu consanguinei, vel affines nullatenus Capitula siue Generalia, siue Prouincialia, siue Conuentualia, neque etiam diffinitorium simul ingredi, & concurrere etiam ad tertium vsque gradum eodem biennio vel triennio valeant, quod si plures huiusmodi consanguinei, vel affines votum casu aliquo simul habuerint, ille tantum qui ratione officij locum digniorem habuerit accedat.

§. 8.

Nullus omnino dignitatem, seu superioritatem habere possit si diu noctúque vna cum aliis fratribus choro non intersit, itinerando pedes incedat, nec ferat, aut per alios ferre curet monetam pro suis vsibus, ac in omnibus, & per omnia disciplinam regularem, & communitatem seruare possit, aliter electionum incapax existat, excepto tamen aliquo Congregationis Patre sene, & infirmo supra quinquagesimum suæ ætatis

annum

annum constituto, qui alias per Capituli generalis, aut Prouincialis electionem superior fuerit; ac in regimine vitæ, innocentia, & regulari disciplina, se laudabiliter gesserit, & cuius consilio multum prodesse valeat, tunc eo casu Capitulum generale cũ illo dispensare, vt ad officia Procuratorum, & Assistentium, & Diffinitorum promoueri possit, sicut, & ad officium Vicarij in hospitiis quæ maximè requirunt hominem senem, & expertum, & in quibus nondum viget stricta obseruantia modò punctim facere possit obseruantias quæ ibi fieri solent.

§ 9.

Nullus ad officium Vicarij generalis, vel Prouincialis poterit eligi minor triginta annorum, & nisi aliquando à Diffinitorio generali, vel à Capitulis Congregationis, vel Prouinciæ fuerit electus ad aliquam dignitatem, vel superioritatem habentem votum in dictis Capitulis, si quis verò aliter assumptus, vel electus fuerit, ipso facto electio irrita sit.

§. 10.

Vicarius generalis in tota Congregatione, & Prouincialis in Prouincia cuius est; absoluto eorum officio ineligibiles ad quodcumque officium (lectoris & magistri nouitiorum exceptis) per biennium iuxta Constitutionem sanctissimi Domini nostri Vrbani octaui, die vigesima octaua Martij, millesimi sexcentesimi trigesimi quinti remaneant, eorumque reelectiones pænitus prohibemus sub pœna nullitatis, nisi fortè casu aliquo fuissent tantum electi octo circiter mensibus antè Capitulum: quod etiam locum habere vo-

lumus in illis, qui per duo Capitula immediatè ſubſequentia, & completa ad aliquod officium habens votum promoti fuerint, aut officiis renunciauerint, quibus per ſex menſes intra ſupradictum tempus in eadem Prouincia functi fuerint: ad officium tamen Vicarij generalis poterit eligi quicumque ex ſupradictis excepto Vicario generali abſoluto, hic autem per officium habens votum non intelligitur, officium diſcreti, quod deputatio potiùs eſt quàm officium, & ad quod poſſunt eligi omnes vocales indifferenter.

§. 11.

Reelectiones in Congregatione noſtra ad eadem numero officia pænitus prohibemus, ſine maxima neceſſitate, aut perſonæ eligendæ experientia, tuncque reeligendi duas ex tribus partibus ſuffragiorum habere debeant, ſaluo ſemper in officiis generalibus iure prouinciarum. Ex Diffinitoribus nunquam poſſint reeligi pluſquam duo, nec poſſit fieri reelectio pluſquam ſemel, vt quilibet tempore præſcripto ad inferioritatem redeat. Omnis autem ſupradicta reelectionum prohibitio intelligenda non eſt, niſi pro officiis votum habentibus, Subpriores enim, lectores, Magiſtri nouitiorum, & huiuſmodi officiales reeligi poterunt quoties bonum commune ita poſtulare videbitur.

§. 12.

Vt autem maledictus ille officiorum ambitus à Congregatione faciliùs expellatur, & ſuffragiorum libertas conſeruetur, ſtatuimus vt bulla Clementis octaui de fauoribus non procurandis legatur, & obſeruetur in Capitulis generalibus &

Prouin

Prouincialibus ante omnem electionem, & in Conuentualibus ante electionem discreti.

§. 13.

Deinde præcipimus per meritum salutaris obedientiæ nè fratres nostri Capitulares cuiquam suffragentur intra Congregationem nostram pro quocumque officio, vel prælatura, sacris ordinibus, prædicationis, vel confessionis munere, & similibus; quæ per vota secreta fieri mandantur nisi quem nouerint teste conscientia forè ad simile officium, vel munus aptum, & idoneum.

§. 14.

Præcipimus secundò per meritum salutaris obedientiæ, nè quis per gratiam, vel fauorem quarumcumque personarum extra Congregationem nostram procuret, vel procuranti adhæreat promoueri se, vel alium intra vel extra Congregationem ad quamcumque prælaturam, officium lectoratus, Munus prædicationis, vel confessionis, & similia, vel ab huiusmodi officiis muneribus, & locis ad nutum Superiorum non posse amoueri.

§. 15.

Cum iuxta doctrinam Apostolicam debeat quisque immobilis in vocatione sua permanere, omnibus, & singulis nostræ Congregationis fratribus præcipimus per meritum salutaris obedientiæ nè quis ad Prioratum, Abbatiam, Episcopatum, siue aliam huiusmodi dignitatem extra Congregationem eligi consentiat sine licentia speciali Vicarij generalis, aut alterius qui talem licentiam de iure dare possit.

§. 16.

Præcipimus quartò omnibus & singulis fratribus cuiuscumque status, & conditionis sint in meritum salutaris obedientiæ, & in virtute Spiritus sancti, nè quis eorum directé, vel indirectè pro se, vel pro alio, neque tempore Capituli, neque alio quocumque pro promotione ad aliquod officium subornatione vtatur; nec non sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, à qua extra mortis articulum nullus absoluere possit præter summum Pontificem, Vicarium Generalem, & Prouincialem; licebit tamen interrogare vel respondere simpliciter de qualitatibus eligendorum nulla adhibita persuasione, aut inductione.

§. 17.

Cæterùm quamuis pateat, ex supradictis quod fratres nostri eligere potiùs debeant aliis subesse, quam præesse: cum Superior, vt ait S. P. Augustinus in regula in quantò maiori honore, tantò etiam in maiori periculo versatur. Canonicè tamen electi ad aliquod officium ab iis ad quos, iuxta præsentium statutorum decreta pertinet, illud acceptare tenebuntur, nè quòd deplorandum foret dignis, & idoneis officia recusantibus incapaces promouerentur: & ideò si quis officio ad quod electus fuerit pertinaciter renuntiauerit, & sine causa rationabili, & euidenti ad simill[a], & ad maiora inhabilis remaneat, donec per Capitulum generale, vel Prouinciale cum eo dispensatum fuerit; de hac autem pertinacia, aut renuntiationis causa iudicabit Diffinitorium Capituli cuius fuerit electio, & cuius erit tantùm hanc renunciationem acceptare, si eam rationabilem esse

iudica

iudicauerit : extra autem tempus Capituli erit Vicarij generalis aut Prouincialis.

CAPVT III.

De apertura Capituli generalis & eius Præsidente.

§. 1.

CApitulum generale congregationis de triennio in triennium alternatim in vnáquaque Prouincia, & in Conuentu per diffinitorium generale, tribus mensibus immediatè Capitulum præcedentibus assignato celebretur. Ad quod suffragaturi conueniant Vicarius generalis, Procuratores Generales Curiæ Romanæ, & Franciæ, Assistentes generales, Pouinciales, & ex qualibet Prouincia vnus Diffinitor, vnus Superior localis, & vnus Discretus, ac Secretarius Congregationis, præter quos nullus ibi audeat apparere sine licentia in scriptis obtenta Vicarij generalis, qui aliter venire præsumpserit carceri mancipetur. Pro hoc autem itinere Prouinciales Prouinciarum in quibus non celebratur Capitulum socium gratum assument.

§. 2.

Qui ex præfatis gremialibus propter ægritudinem, aut aliud iustum impedimentum personaliter loco, & tempore Capituli comparere non potuerit, mittet ad dictum Capitulum litteras, quibus euidentem absentiæ suæ causam significet,

ac præterea ſi fuerit ex officialibus ibi abſoluendis, petet humiliter abſolui ab officio ſuo, cuius etiam litteras, & ſigillum mittet, alioqui talis ſit ipſo facto abſolutus, ſicut & eum abſoluimus,& cauſam ipſius abſentiæ Diffinitorio Capituli generalis examinandam, & ſi iuſtum fuerit puniendum committimus.

§. 3.

Quod ſi talis Vicarius generalis fuerit ex tunc ipſius vices geret in omnibus Aſſiſtens Prouinciæ cuius eſt, vel in eius abſentia antiquior ex aliis,ſi verò Prouincialis aliquis aut Diffinitor deputatus ex negligentia, vel inobedientia non acceſſerit, ipſo facto incurrat excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non niſi à Vicario generali abſolui poſſit, ac præterea officio priuetur,& de altero Prouinciali, aut Diffinitore in eodem Diffinitorio Capituli generalis prouideatur; ſi etiam ex deputatis Prouinciarum aliquis culpabiliter abfuerit ad eiuſdem Diffinitorij arbitrium puniatur.

§. 4.

Feria igitur ſexta ante feſtum ſancti Michaëlis Archangeli celebrabitur à Vicario generali Miſſa ſolemnis de Spiritu Sancto cui omnes qui eo die celebrare non potuerunt deuotè aſſiſtent, implorantes eiuſdem Spiritus Sancti gratiam pro fœlici præſentis Capituli ſucceſſu, eodemque manè inchoabuntur in cœteris Conuentibus Congregationis Miſſæ, & præces præſcriptæ.

§. 5.

Abſentibus iam non amplius expectatis, etiamſi præſentium numerus minor fuerit quam abſentium

ſentium Vicarius generalis conſueto Campanæ ſigno Capitulum conuocabit, vbi omnibus conſedentibus ordine ſupradicto in prima parte, Capite ſeptimo, paragrapho quinto Vicarius generalis dicto verſu, *Adiutorium noſtrum &c.* per ſe, vel per alium leget caput immediatè præcedens de electionibus, poſtea verbum aliquod habeat opportunè per ſe, vel per alium.

§. 6.

Quo expleto omnibus, & ſingulis, ſemel atque iterum præcipiat in virtute Sanctæ obedientiæ, vt ſi quis eorum litteras præſidentiæ habeat ad Capitulum generale directas protinus oſtendat, atque legendas conſignet, quod ſi adhuc nullæ fuerint oſtenſæ, illud tertiò præcipiet, & quidem ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſi verò quiſpiam huiuſmodi litteras præſentauerit, cum debita veneratione ſuſcipiantur, & poſt diligentem ſigilli inſpectionem, & ſuperſcriptionis prælectionem, à Vicario generali antiquiori ex Aſſiſtentibus generalibus conſignentur aperiendæ, atque legendæ, & quicumque ex Congregatione virtute earum præſidens nominatus fuerit, is cum omni authoritate, & poteſtate toto Capituli tempore præſidentis officio fungetur, dummodò ordinationes Pontificum, & Congregationis ſtatuta ei non aduerſentur.

§. 7.

Quod ſi huiuſmodi litteræ nullæ fuerint publicè, & efficaciter præſentatæ, & debito tempore exhibitæ, tunc Vicarius generalis viua voce Aſſiſtentem Prouinciæ cuius fuit Vicarius generalis penultimi triennij in Præſidentem Capituli gene

generalis virtute præſentium ſtatutorum, aut in eius abſentia alterum antiquiorum proclamabit, & ſic de cæteris, & ſtatim qui præſidens nominatus fuerit genua flectat, in loco ſuo, cui omnes Patres aſſurgant, & ipſe Vicarius generalis, cum reuerentia accedens erigat eum, & locum illi cedat priorem, deinde genuflectens ante ipſum, in ſignum obedientiæ, & reuerentiæ manum eius dexteram reuerenter deoſculetur, poſtea ſurgens ad ſiniſtram eius ſedeat, & poſt eum ordinatè ſimiliter facient omnes Patres ſucceſſiuè; quibus Præſidens imperabit, nè quis vſque ad finem Capituli, eo inſcio egrediatur è Conuentu, deinde finiens hanc primam ſtationem dicet. *Sit nomen Domini benedictum*, reſpondentibus omnibus, *ex hoc nunc & vſque in ſæculum*, qnod ſimiliter faciet in ſolutionem omnium ſeſſionum.

§. 8.

Poſt prandium verò illius diei, horæ quæ videbitur opportunior, Præſidens Congregabit Vicarium generalem, Procuratores, & Aſſiſtentes generales qui adfuerint ad examinandas litteras teſtimoniales Diffinitorum, Priorum, & Diſcretorum qui à qualibet prouincia deputati ſunt, eoſque (ſi iuſtum fuerit) priuabunt voce actiua, & paſſiua tum pro ipſo Diffinitorio, tum pro ſubſtitutione quæ facienda eſſet ante idem Diffinitorium Capituli generalis, ſi debuiſſent, aut ſubſtitui, aut intereſſe tum pro electione iudicum cauſarum, non tamen priuabuntur ob vllum defectum perſonale, niſi actu legitimè ſuſpenſi ab officiis reperiantur, ſed tantum ob defectum deputationis, & litterarum teſtimonialium, quæ

iterum

iterum ſuo tempore præſentabuntur examinandæ à Iudicibus cauſarum , pro reliquis electionibus faciendis,

CAPVT IV.

De diffinitorio Capituli generalis.

§. 1.

QVandoquidem diffinitiones , deciſiones , declarationes ; ſententias , & omnia alia quæcumque ad ſtatum Congregationis , Prouinciarum , & fratrum pertinentia , ante Vicarij generalis , & aliorum electiones fieri volumus expletis quæ præcedenti capite mandata ſunt. Præſidens congregabit diffinitorium, quod poſt eum conſtabit ex Vicario generali , duobus procuratoribus , Aſſiſtentibus generalibus , & vno Diffinitore cuiuſlibet Prouinciæ , quod ſi ex his aliquis adeſſe non poſſit , vel in præſidentem nominatus ſit , ſubſtituetur à reliquis Diffinitorij patribus aliquis alter per vota ſecreta ex Diffinitoribus Prouinciarum (ſi præſentes ſint) ſi verò abſentes tunc ſubſtitutus ſit Diſcretus Prouinciæ cuius eſt Diffinitor abſens , & in defectu diſcreti, diffinitorij erit ſubſtituere quemlibet ex gremialibus , ſeruato ſemper in omnibus iure Prouinciarum , in hoc autem Diffinitorio ſcrutabuntur ſuffragia Præſidens , Vicarius generalis , & alter poſt eos , ordine , & dignitate primus.

§. 2.

Locus Diffinitorij ſecretus ſit, & honeſtus , in

quo

quo si fieri possit sit altare, vel saltem imago magna coram qua Patres Diffinitorij conuenientes dicant genuflexi, initio omnium sessionum hymnum, *Veni Creator Spiritus*, addente Præsidente, *Emitte Spiritum, &c. Domine exaudi. Dominus vobiscum, &c. Deus qui corda fidelium, &c. Actiones nostras, &c. Adesto supplicationibus, &c.* In fine verò sessionum. *Sancta Maria succurre miseris, &c.* cum versu & oratione *defende quæsumus.*

§. 3.

Deinde surgentes ad tabulam ibi paratam, suprà quàm scribere commodè possint, ordinatim sedebunt, & primò quidem loco Præsidens solus in titulo tabulæ, & ab ipsius dextris Vicarius generalis, à sinistris Procurator generalis in Curia Romana, & sic de cæteris ordine præscripto prima parte capite septimo: substituti autem vltimum locum tenebunt, qui etiam eodem ordine ad interrogata respondebunt.

§. 4.

Congregabuntur autem bis in die cum Congregationis Secretario fidelissimo, qui tamen non sit de corpore Diffinitorij, sed tantùm quæ in eo erunt proposita, & decisa, diligenter notabit, & ad mandatum Præsidentis suo tempore publicabit, si tamen casus occurreret quod de aliquo ex Patribus Diffinitorij aliquid proponeretur, quod per vota secreta fieri consueuerit, ille in hoc casu suffragium suum feret, & non aliter.

§. 5.

Postea Pater Præsidens præcipiet per meritum salutaris obedientiæ de secreto seruando in omnibus

nibus his quæ in præsenti Diffinitorio pro animarum salute, cum libertate, & zelo Religionis à quocumque dicta, proposita, vel agitata fuerint, & super hoc iuramentum præstabunt, super sancta Dei euangelia, & Primus omnium iurabit Pater Præsidens, deinde Vicarius generalis, & reliqui successiuè, & postremo Secretarius de fidelitate scilicet, & secreto simul seruandis.

§. 6.

Deinde aduocabitur discretus Prouinciæ in qua celebratur Capitulum, postmodum alij discreti qui tradent litteras Diffinitorij Capituli Prouincialis, vel intermedij (si quas habuerint) clausas, & sigillatas sigillo prouinciæ, eas præleget Secretarius, præsente discreto qui eas detulit, & si opus fuerit earum intentionem exponet, vel pro eis exponendis Diffinitoribus præsens interrogabitur, aut prouincialis aduocabitur vt Diffinitorio visum fuerit; postea ante egressum tradet idem discretus litteras Conuentuum, vel fratrum particularium (si quas detulerit): Illo autem egresso, Diffinitorij Patres simul conferent si quid in prædictis litteris necessarium, aut vtile videatur, & quidem quod Pater Præsidens, vel duo ex aliis Patribus tale iudicauerint à Secretario registrabitur suo tempore maturius discutiendum.

§. 7.

Post discretos aduocabuntur Prouinciales, Priores, & alij omnes gremiales successiuè vt deferant Diffinitorio, quæ Congregationis, & prouinciarum bono expedire iudicauerint, postmodum prælegantur litteræ, vel earum summaria

ria tum fratrum, tum sæcularium, & decretum, responsum breuiter notetur à Secrerario.

§. 8.

Denique Vicarius generalis producet primò omnes declarationes, & ordinationes, quas vnà cum Assistentibus generalibus fecit pendente triennio, vt si à Diffinitorio Capituli generalis fuerint approbatæ in libro Congregationis scribantur; deinde producentur acta visitationum totius Congregationis, & Prouincialium.

§. 9.

Tandem ipsi Patres qui sunt de corpore diffinitorij verbo tenùs, vel in scriptis incipiendo à postremis proponant quæ à cæteris fuerint omissa, & sibi occurrerint deliberatione digna, quæ similiter notabuntur à Secretario.

§. 10.

Si verò aliquid legi, vel determinari contigerit, quod tangat Patrem aliquem diffinitorij, hic pendente illa determinatione, aut lectione exire teneatur, postea verò iterum aduocetur, qnod si plures egredi teneantur cæteri huiusmodi Diffinitorij Patres, etiamsi minor pars supersit, nihilominus sententiam ferant diffinitiuè, & rem propositam concludent.

§. 11.

In sessionibus sequentibus Patres Diffinitorij aggredientur quæ sic à Secretario notata, ac conscripta interuenerint deliberatione digna in proponendo, discutiendo breuitatem, claritatem, & modestiam obseruabunt. Nullus cum altero contendat, nec extra locum sibi dicendi proprium loquatur, absque venia Præsidentis, post-

quam

quam vnusquisque rationes sibi occurrentes allegauerit, propositio formabitur cathegoricè, ita vt affirmando, vel negando decidi possit, & sic formata propositio registrabitur per Secretariũ, & lecta decidetur per vota secreta, seu ballotulas; fiet autem hoc modo omnium, & singulorum certa, & euidens conclusio ex omnibus quæ hucvsque delata, proposita, agitata, decisaque fuerint. Patres Diffinitorij facilè conditionem, & statum præsentem totius Congregationis, vel Prouinciarum iam perspicientes videbunt etiam quibusnam remediis, & auxiliis indigeant, & iuxta necessitatem prouidere conentur.

§. 12.

In hunc finem statuent, confirmabunt, annullabunt, irritum facient quicquid hucvsque irrepserit sinceris moribus, ac regulari disciplinæ quouis modo periculosum, noxium, vel contrarium.

§. 13.

Declarabunt, ac etiam decident dubia omnia si quæ emergant, & dispensabunt pro singularibus personis cum omni dilectione, & charitate, veris tamen, & iustis concurrentibus causis pro dispensatione concedenda secundum breuia, & statuta.

§. 14.

Deinde perlegent definitiones præteritorum Capitulorum generalium, & siquidem illis mutandum, delendumque, vel iuxta temporum varietatem de nouo diffiniendum fuerit mutetur, vel difiniatur, & reliqua quæ intacta remanserint, de nouo semper confirmentur per hanc clausulam generalem, *Cæteris in suo robore permanen-*

tibus, quæ omnia fideliter à Secretario registrabuntur.

§. 15.

Monemus autem hoc loco à multitudine legum quoad fieri poterit abstinere, defectus particulares particularibus remediis curando. Si quidem certum est ad bonam obseruantiam plurimum conferre, vt ea quæ sanciuntur pauca sint, & stabilia; quapropter statuimus quomodo ordinationes, & constitutiones nouæ fieri debeant.

§. 16.

Ordinationes igitur, seu Diffinitiones nouæ nullatenus fieri possint nisi concurrentibus ad minus duabus ex tribus suffragiorum partibus, & quæ constitutionibus nunquam aduersentur: Ac præterea mandamus, vt in singulis Capitulis generalibus Congregationis reexaminentur, & de nouo per secreta suffragia maioris saltem partis Patrum Capituli approbentur, ordinationes verò quæ sic per tria immediata capitula fuerint semper corroboratæ, atque confirmatæ vim habeant constitutionum, & semper, ac inuiolabiliter obseruentur, donec per tria subsequentia Capitula annullatæ, & improbatæ fuerint.

§. 17.

Erunt autem duo libri originales huiusmodi ordinationum, atque constitutionum, quorum primus conseruabitur in Archiuio Congregationis in Conuentu Parisiensi, alter in quocumque nostro Conuentu ad arbitrium Vicarij generalis quem etiam secum deferre tenebitur ad Capitulum generale Congregationis, & in vtroque præfatis ordinationibus, atque constitutionibus sub

ſubſignabuntur Pater Præſidens cum omnibus Patribus Diffinitorij Capituli generalis.

§. 18.

Poſt ordinationes huiuſmodi fiet conſultatio vtrum facienda ſit diuiſio aliqua Prouinciarum, quæ nequaquam fieri poſſit niſi ad minus ſint in vnaquaque Prouincia octo Conuentus : vtrum aliqua Monaſteria de nouo recipi debeant, ac poſſint, ſalua regulari obſeruantia, & ſi quæ oblata fuerint, & acceptanda : ſuper hoc fiet decretum ſicut, & ſupra de diuiſione prouinciarum. Si autem extra hoc tempus nouus aliquis Conuentus ſit acceptandus : hoc fiet de ſolo Diffinitorij generalis conſenſu in ſcriptis habito : Nec vllus in poſterum acceptabitur, niſi ad minus duodecim fratres de familia commodè ſuſtentari poſſint aliter quam de ſola mendicatione campeſtri, ſub pœna priuationis officiorum, & vocis tum actiuæ, tum paſſiuæ à prioribus, & contrafacientibus ipſo facto incurrenda.

§. 19.

Ibidem etiam determinabitur, ſi quis fuerit ex aliqua Prouincia licentiandus, & mutandus, ſiue etiam è Congregatione noſtra eiiciendus, ne ſua contagione peſtifera plurimos perdat, ſeruato decreto Domini noſtri Vrbani Papæ octaui. Denique hic omnia alia Congregationis negotia quæcumque ſint maturè diſcutientur cùm ſumma congregationis poteſtas huic Capituli generalis Diffinitorio committatur : & ideo nihil indeciſum, & indeffinitum relinquatur; quatenus omnibus ritè ordinatis ; Congregatio tutò requieſcere poſſit in ſancta pace.

§. 20.

Aſſignabit familiam Vicario generali, ac cæteris officialibus generalibus abſolutis vſque ad proximum Capitulum Prouinciale.

CAPVT V.

De electione iudicum cauſarum, Vicarij generalis, & omnium officiorum generalium.

§. I.

PEractis omnibus quæ Diffinitorio generali committuntur Præſidens ſeſſione ſequenti conuocabit non tantùm Patres Diffinitorij generalis, ſed etiam gremiales omnes, vt eligantur per vota Secreta ex dictis gremialibus (ſolo Vicario generali excepto) tres fideliſſimi iudices cauſarum ſiue arbitri ex diuerſis Prouinciis vt ipſi omnem controuerſiam dirimant ſuper his, qui in cæteris electionibus faciendis vocem habere debebunt, ac præterea vna cum Præſidente ſcrutentur lata ſuffragia in electionibus huiuſmodi, quæ per omnes gremiales fiunt, tres antiquiores gremiales profeſſione, vbi verò primus fuerit electus, minus antiquus ex gremialibus recedens ipſi talia ſuffragia ſcrutanda relinquet, & ſic de cæteris. Præſidens ſic electus hortabitur ſuper ſumma fidelitate, & integritate in hoc munere ſeruanda, atque ſuper hoc ab ipſis iuramentum exqui

exquiret, deinde ipsos confirmabit.

§. 2.

Postea præcipiet Præsidens omnibus, & singulis Capituli vocalibus, vt si quis eorum nouerit causam propter quàm aliquis ex gremialibus non debeat habere vocem actiuam, vel passiuam maturè dictis iudicibus causarum denunciet antè primam sessionem, & indictione facta sessionis sequentis, omnes discedent præter deputatos prouinciarum: nempè Diffinitores, Priores, & discretos, qui ordinatim exhibebunt dictis iudicibus causarum litteras testimoniales legitimæ missionis. Ipsi verò simul cum Præsidente visis videndis absolutè secundùm Deum, & conscientiam sententiam ferent in scriptis contra illos qui meritò voce aliqua priuandi fuerint ob defectum deputationis, vel litterarum testimonialium, non tamen ob defectus personales, & omnes parere tenebuntur sub pœna priuationis vocis actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrendæ.

§ 3.

Post electionem iudicum causarum die sequenti Præsidens post missam solemnem de Spiritu sancto quàm ipse celebrabit; & cui omnes intererunt, & ad communionem accedent etiam gremiales, qui celebrare ea die non potuerint: consueto campanæ signo congregabit omnes tam vocales, quàm non vocales: & facta lectione præsentis Capituli Vicarius generalis surget à latere Præsidentis, & ante eum genua flectet, ibique humiliter inclinatus dicet culpam suam coram omnibus, & renunciabit officio suo sigilla illius resignando inter manus Præsidentis: deinde sur-

gens redibit ad locum ſuum, & poſt eum ordinatim accedent etiam genuflectentes, & reſignantes ſigilla ſua duo Procuratores generales, & Aſſiſtentes generales.

§. 4.

Poſtea primus ex iudicibus cauſarum ſurget pronuntians clara voce ſuo, & omnium nomine vocales hoc modo. *Hi ſunt illi Reuerendi Patres qui in præſenti Capitulo vocem habere debent, ſcilicet admodum R. P. N. Præſidens. R.P. Vicarius generalis, R. P. N. Procurator generalis in curia Romana, R.P.N. Procurator in Curia Gallia, Reuerendi Patres Aſſiſtentes, ſcilicet R P.N. R.P.N. R.P.N.* & ſic de cæteris: deinde dicat Præſidens, *qui non fuerint nominati inter vocem habentes egrediantur:* his egreſſis iubeat Præſidens, & prælegantur definitiones, & ordinationes factæ in præſenti Diffinitorio generali; ſi aliqua ex illis reſpiciat ſtatum præſentium electionum vt ibi ſi à Capitulo pro maiori parte approbatæ fuerint, ſine vlla contradictione incipiant obſeruari: poſtquam lectionem immediatè, & ſilentio facto, Vicarius generalis, flexis genibus incipiat deuotè, *Confiteor Deo omnipotenti* quod cum eo proſequentur cæteri, gremiales ſimiliter genuflexi. Pater autem Præſidens ſuper eos dicet, *Miſereatur, &c.* ſicut in abſolutione generali continetur.

§. 5.

Finita abſolutione Præſidens publicè per ſe, vel per alium legat caput de electionibus in genere à paragrapho octauo, ad finem vſque: Poſtquam lectionem adhuc præcipiat eis Præſidens per

per meritum salutaris obedientiæ, & in virtute Spiritus sancti, vt semotis omni simultate, fauore, amore, timore, atque odio in Vicarium generalem, in Procuratores generales, & Assistentes, aliósque officiales nullum eligant, nisi quem teste Deo, & conscientia digniorem, atque vtiliorem cognouerint, & omnibus prædictum conditionibus per Bullas Apostolicas, & præsentes Constitutiones, requisitis; & post hæc omnes ordine accedentes suprà hanc veritatẽ ita se facturos coram Deo, & hominibus iuramentum præstabunt inter manus Præsidentis supra Sancta Dei Euangelia: qui etiam ad instar cœterorum primus iurabit.

§. 6.

Postmodum procedetur ad electionem Vicarij Generalis, qui eligetur alternatim ex vnaquáque Prouincia: electio autem sic fiet accipiet à scriba deputato vnúsquísque in diuersis schedulis separatim nomina & cognomina diuersorum patrum qui possunt eligi in Vicarium generalem; & qui vt dictum est capite secundo paragrapho primo, & secundo, plura suffragia habuerit publicabitur electus: deinde eligantur eodem modo separatim, & successiuè procurator Generalis pro Curia Romana, & alter pro Curia Galliæ; demùm Assistentes generales, vnus scilicet ex qualibet Prouincia; ita vt prima electio sit de Assistente Prouinciæ in qua celebratur Capitulum; Aliæ verò ad nominationem Præsidentis. Procurator generalis pro Curia Romana, & Procurator generalis in Curia Franciæ sint ex aliis Prouinciis, ex quibus non est Vicarius generalis; ita vt quæ-

libet Prouincia habeat omnes officiales generales alternatim; nisi fortè aliquando pro officio alicuius Procuratoris generalis, quod maximam requirit experientiam vellet aliqua Prouincia pro bono communi cedere iuri suo. Poterunt autem omnes officiales, Priores, Diffinitores, & quilibet alij ad officia Procuratorum, & Assistentium eligi, & ipsi acceptare tenebuntur. (Prouinciali excepto, qui ad solum Vicarij generalis officium eligi poterit.) Deinde eligatur vnus in visitatorem totius Congregationis ex officialibus generalibus alterius Prouinciæ ex qua non est Vicarius generalis.

§. 7.

Deinde procedatur ad electionem secretarij Congregationis pro Vicario generali electo, cui licebit proponere gremialibus tres Patres suæ vel alterius Prouinciæ, quos ad hoc officium aptiores esse iudicauerit; & ex his tribus aliquem in scriptis eligant vt suprà.

§. 8.

Si verò contigerit aliquem ex Prouincialibus in Vicarium generalem electum fuisse ibidem à gremialibus eligatur Prouincialis qui sit eiusdẽ Prouinciæ cuius est Vicarius generalis electus, & qui suo fungatur officio, vsque ad proximũ Capitulũ Prouinciale. Si verò alter officialis alicuius Prouinciæ eligeretur ad aliquod officium generale de altero eo modò quo de Prouinciali prouidebitur.

§. 9.

His electionibus factis Pater Præsidens incipiet Hymnum. *Te Deum laudamus*, quem omnes prosequentur processionaliter pergentes ad Cho-

rum,

rum, vel Ecclesiam, vbi iam debent esse omnes fratres, & vbi quilibet sumet locum officij ad quod electus est, cæteri verò sedebunt ordine professionis, excepto Vicario generali absoluto, qui vsque ad solutionem Capituli seruabit locum immediatè post Vicarium generalem electum. Hymno finito Pater præsidens cõfirmabit primò Vicarium generalem, deinde duos Procuratores generales & Assistentes, ac demum Prouincialem. (si quis ibi fuerit electus) dicens. *Ego authoritate qua fungor in hoc præsenti Capitulo, confirmo te in Vicarium generalem Congregationis nostræ discalceatorum sancti Augustini dans tibi omnem authoritatem, & potestatem quàm cæteri Vicarij generales huius Congregationis secundùm Bullas summorum Pontificum, & statuta habere consueuerunt. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Vel *in Procuratorem*, & sic de cæteris: & eodem tempore tradet cuilibet sigillum officij sui addens. *Et hæc sunt insignia quibus insigniri solent, qui tali officio funguntur.* Quo facto Vicarius generalis manibus præsidentis Capituli emittet professionem fidei iuxta decretum Sacri Concilij Tridentini. Ac deinde incipiente Vicario generali absoluto, cœteri omnes fratres manus Vicarij generalis electi in signum obedientiæ osculentur. Si ex electis aliquis abfuerit ille qui eum in officio immediatè antecedit accepto sigillo suo adhuc genu flexus expectabit confirmationem illius, & sigillum eius nomine suscipiet: aut si abfuerit Vicarius generalis electus, sigillum, & confirmationem eius suscipiet ille, qui eum immediatè sequetur dicetque ei Præsidens. *Ego authorita-*

te qua fungor in hac parte confirmo Reuerendum Patrem N. in &c. vt ſupra. hac confirmatione, & traditione facta dicet Præſidens alta voce *Saluos fac ſeruos tuos. Mitte eis Domine auxilium de ſancto. Domine exaudi &c. Dominus vobiſcum,* Oremus. *Omnipotens ſempiterne Deus qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulos tuos, & ſuper Congregationem illis conceſſam Spiritum gratiæ ſalutaris, & vt in veritate tibi complaceant perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.* Hac oratione finita Pater præſidens iniunget omnibus, & ſingulis per meritum ſalutaris obedientiæ, vt ſi aliquid ſuo, vel prouinciarum nomine habuerint dicendum contra Vicarium generalem abſolutum, & alios officiales generales, vel ſi quid nouerint in eis correctione dignum inter diem naturalem denuncient; & quæ contra aliquem eorum producta fuerint ipſe cum officialibus generalibus electis qui adfuerint hac de re conferet, & de eorum conſilio, & aſſenſu ſententiam feret, ne ſcilicet delicta cuiuſquam maneant impunita.

CAPVT VI.

De ſolutione Capituli generalis.

§. I.

DIe immediatè ſequenti electionem Vicarij generalis poſt veſperas Præſidens conuocabit omnes tam vocales, quam non vocales,

&

& coram ipsis publicabuntur ex libro congregationis omnia acta Capituli magno sigillo confirmata per eum qui fuit secretarius Diffinitorij generalis sic : *In nomine Domini nostri Iesu Christi benedicti. Amen. Anno Domini N. die N. mensis N. in Conuentu nostro N. celebratum est Capitulum generale fratrum Eremitarum discalceatorum ordinis sancti Augustini Congregationis Galliæ, in quo fuerunt de Corpore Diffinitorij generalis Admodum R. P. N. Præsidens. R. P. N. Vicarius generalis absolutus*, & reliqui sic alternatim nominandi per nomina , & cognomina , *qui omnes vnanimi consensu authoritate eis per constitutiones concessa ea quæ sequuntur statuerunt, & publicè notificari mandarunt N.* nunc inserantur , & legantur Diffinitiones,& ordinationes, quæ in hoc Capitulo de nouo factæ fuerint , vel retractatæ ex veteribus cum clausura confirmatoria eorum, quæ in suo robore voluerint permanere his terminis : *Reliquis hic specialiter non expressis in suo robore permanentibus.* Deindè publicabuntur omnes personæ electæ in hoc Capitulo generali , & nomina & cognomina vocalium, qui ad has electiones concurrerint.

§. 2.

Post hæc Præsidens omnes benefactores orationibus fratrum commendabit : Iniungens Prouincialibus , vt in vno quoque Conuentu tres missas quamtotius celebrare faciant : vnam scilicet pro summo Pontifice ; alteram pro Rege, aut Principe sub quorum dominio erunt Monasteria ; tertiam pro benefactoribus viuis , atque defunctis : Clerici ter psalmos pœnitentiales cum

litaniis;

litaniis; conuersi verò centum quinquaginta Pater noster, in eadem intentione qua suprà recitabunt: deinde in præsentiarum breuitatis causa dicet cum aliis alternatim per choros psalmum, *Deprofundis clamaui*, *&c.* & in fine dicent duo Cantatores *Kyrie eleïson*, ipse verò *Pater noster, & ne nos inducas in tentationem. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus qui viuorum simul, & mortuorum, &c. Deus veniæ largitor, &c. Fidelium, &c.*

§. 3.

His expletis prædictus Præsidens breui, & succinta exhortatione habita super perfecta obseruantia decisionum, Diffinitionum præsentis Capituli, Regulæ, statutorum, dabit absolutionem generalem, quæ in officiis ordinis continetur, & postea intonabit alta voce hymnum, qui incipit. *Magne Pater Augustine* quem alternatim duo chori prosequentur, & in fine duo Cantores in medio chori. *Ora pro nobis sancte Pater Augustine.* Præsidens verò dicet. *Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus*, de sancto Augustino, &c. Postea concludet Capitulum, & formando signum sanctæ Crucis super omnes genuflexos dicet *Benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super vos, & maneat semper.* Omnibus respondentibus. *Amen.*

§. 4.

Hinc vnusquisque quantotius fieri poterit proficiscetur ad Prouinciam, & Conuentum suum, & Prouinciales secum deferent litteras in forma patenti manu Præsidentis, & omnium

Patrum qui fuerunt de corpore diffinitorij generalis subscriptas, & maiori Congregationis sigillo munitas: in quibus omnes diffinitiones, & electiones in eo Capitulo factæ, & reliqua scitu necessaria contineantur: quæ,& quælibet eorum in libro Prouinciæ suæ faciat registrari, & per omnes Conuentus quamcitius publicari, & obseruari, & in eorum libris registrari curabit sub pœna priuationis ab officio.

CAPVT VII.

De officio Vicarij generalis

§. 1.

Vicario generali iuxta seriem nostrarum constitutionum canonicè electo, & confirmato tanquam Patri, & legitimo Pastori omni cum reuerentia, & subiectione officiales generales, Prouinciales, & vniuersi, ac singuli fratres in omnibus (vt decet) obediant memores professionum suarum in quibus eidem obedientiam solemniter promiserunt, qui verò mandatis Vicarij generalis obedire recusauerit, & in ipsa inobedientia obstinatus per diem, & noctem permanserit omni officio,& voce vtraque per triennium careat.

§. 2.

Ipse verò totius Congregationis curam geret, & inuigilabit, vt omnia quæ in regula, constitutionibus, & Capitulorum ordinationibus nobis

bis præſcripta ſunt debitè executioni mandentur. Triennale erit ipſius officium. Habebit plenam authoritatem præterquam in caſibus Diffinitorio generali, vel Capitulo generali reſeruatis, & per præſentes conſtitutiones prohibitis, & poterit per ſe quidquid poſſunt Superiores ſubalterni.

§. 3.

Culpas omnes vſque ad grauiorem incluſiuè per ſe poterit tam in ſuis viſitationibus quam extra imponere. In omnibus communitatis actibus præſidebit, & ſigna neceſſaria faciet ſicut & in omnibus Capitulis quibus voluerit intereſſe excepto Capitulo generali vbi alter aderit præſidens. Extra tempus viſitationis (in quarta parte exprimendum capite primo) regulariter reſidebit in Conuentu Pariſienſi niſi aliter pro bono Congregationis expediri iudicauerit: dum aberit Prouinciales admonebit de loco ad quem tendit, vt in negotiis occurrentibus ipſum conſulere poſſint.

§. 4.

Quærelas fratrum libenter audiat eiſque charitatiuè prouideat, caueat, vt in omnibus Prouinciis, & Conuentibus ſeruetur vniformitas: ſuperiorum authoritatem protegat ne contemnantur, & inferiorum innocentiam ne vexentur; litterarum ſtudia ſollicitè foueat: Caueat quod Prouinciales concionatoribus de pulpitis conuenientibus ſuo tempore prouidere conentur: inuigilet præcipuè, ne frequentiora ſint fratrum itinera, & ſi hoc Prouincialium negligentia euenerit, & ſine maxima neceſſitate corrigat.

§. 5.

§. 5.

In his quæ ad statutam Congregationis gubernationem spectant, neque per se, neque coniunctim cum assistentibns generalibus dispensare poterit; in cæteris vero quæ ad mores spectant,& ei à constitutionibus specialiter non prohibetur plenam habebit authoritatem: non poterit tamen alicuius Conuentus esse Prior localis; nec alicuius Prouinciæ Prouincialis; neque aliquid præcipere toti Congregationi sub pœna excommunicationis, sed tantum alicui Prouinciæ, vel aliquibus Conuentibus, aut fratribus. Non debet etiam extra limites Congregationis proficisci ad aliquod tempus sine consensu Assistentium, nec diutiùs extra illam commorari, quam ab illis concessum fuerit: in quo etiam casu vnum ex Procuratoribus, aut Assistentibus generalibus Vicevicarium relinquet; aliter nullam habeat authoritatem constituendi Vicevicarium pro tota Congregatione: poterit tamen in Prouinciis quoties opus fuerit Commissarios constituere.

§. 6.

Nullus sine eius licentia,neque Romam,neque extra limites Congregationis ire poterit. Nullus è sua prouincia in aliam, nec ipse Vicarius generalis poterit sibi subditos obligare, vt ibi de familia commorentur, nisi de ipsorum consensu, non renuente Prouinciali Prouinciæ ad quam transire debent,nisi fortè in casu criminis, in quo ipse solus pendente visitatione poterit hoc absolutè, & Prouincialibus, & inferioribus imperare pro congregationis honore: extra tempus verò visitationis de consensu Assistentium.

§. 7.

§. 7.

Ille autem cui Vicarius generalis permiserit in aliena prouincia remanere. Poterit, & sine vllius consensu ad propriam reuocari ab eodem, vel alio Vicario generali dum libuerit. Si autem à Capitulo generali Congregationis huiusmodi licentia data fuisset, tunc enim à solo Capitulo generali poterit reuocari; nisi in dicta Capitulari licentia certum tempus limitaretur, aut eum ad libitum reuocandi potestas Vicario generali committeretur. Qui autem ita de licentia Vicarij generalis, aut Capituli in aliena Prouincia commorabitur gaudebit loco, voce, officiis, & priuilegiis omnibus, quibus ipsimet originales potiuntur.

§. 8.

Si quis aliquam facultatem dispensationem, aut obedientiam à Vicario generali, Diffinitorio, aut Capitulo generali obtinuerit, non ea vtetur, quin prius eam Prouinciali, aut in eius absentia Priori significauerit; nisi in tali licentia aliter exprimeretur.

§. 9.

Vicarius generalis Capitulis Prouincialibus personaliter præsidere, aut interesse non tenebitur, quod si de facto præsidere noluerit, constituat Præsidentem qui sit alterius Prouinciæ quam eius cuius Capitulo præsidere debet. Archiuij Congregationis curam habebit, illud autem sub tribus clauibus reseruabitur, quarum vnam ipse tenebit, alias verò antiquiores Assistentes aliarum Prouinciarum. In hoc Archiuio conseruabuntur constitutiones, Breuia, concessiones, Priuile

Priuilegia, ſcripturæ, & contractus notabiliores ad vniuerſam Congregationem pertinentes, & quicumque ſine Vicarij generalis, & Aſſiſtentium licentia, aliquam ſcripturam ex hoc Archiuio extrahere præſumpſerit, vel extrahi fecerit, vel extractum intra terminum ſibi aſſignatum non reſtituerit excommunicationem ipſo facto incurrat, à qua abſque prædictæ ſcripturæ reſtitutione abſolui minimè poſſit.

§. 10.

Habeat præterea librum quem ſemper ſecum deferat in quo regiſtrentur à Secretario obedientiæ, licentiæ, determinationes, diſpenſationes, declarationes, ſententiæ, affiliationes, & alia huiuſmodi, quæ vel per ſe, vel vnà cum Aſſiſtentibus generalibus fecit, & cœtera notabiliora, quæ durante ipſius regimine acciderint, tam viſitationis tempore, quam alio quolibet: hunc autem librum Diffinitorio Capituli generalis producet, & ſi quid reprobatum fuerit, delebitur, deinde ipſum ſucceſſori ſuo tradet, ſucceſſor iterum alteri; & ſic ſucceſſiuè.

§. 11.

Nullus ipſo contradicente habitu noſtro indui, profiteri, ad ſacros ordines promoueri, de vno ad aliud Monaſterium transferri, Confeſſarij, aut concionatoris, aut lectoris officio fungi poterit. Nullus etiam libros ſine eius licentia typis mandare, quam licentiam, & examinatorum approbationem in ipſis inſerere tenebuntur ſub pœna Canonis. Solus amicos, & benefactores toti Congregationi affiliare poterit.

CAPVT VIII.

De Diffinitorio generali, & eius authoritate.

§. 1.

VT Vicarius generalis Congregationem facilius, & prudentius gubernare possit, Procuratorum Curiæ Romanæ scilicet, & Franciæ (quando aderunt) & Aissistentium generalium adiutorium illi adiungimus quorum officium per triennium, & vsque ad nouorum officialium electionem durabit.

§. 2.

Ipsorum erit post Vicarium generalem inuigilare super obseruantia Regulæ, Constitutionum, ordinationum, & similium ad Congregationis honorem, Prouinciarum vtilitatem, & fratrum perfectionem, & quietem spectantium; & de omnibus Vicarium generalem certum facere, ac præterea in omnibus adiuuare authoritatem eius sustinere, eique omnium reuerentiam, & obedientiam pro viribus procurare, imo & ipsum cum omni reuerentia, humilitate si in eo aliquem defectum aduerterint cum charitate commonere.

§. 3.

Semel in mense congregabuntur simul cum Vicario generali, & quotiescumque negotiorum necessitas exegerit, quod si fortè Procuratores generales, aut vnus Assistens deessent, aut abessent

sent à Prouincia à qua huiusmodi Congregationes fieri debent, in re maximè argenti, & quæ moram non pateretur, non spectentur, nec aduocentur, dummodo saltem quinque numero in prædicta Congregatione interueniant, & ad numerum prædictum complendum qui præsentes fuerint ex Diffinitorio eligant ex patribus grauioribus in eodem Conuentu, vel ex aliquo viciniori, & quidquid à Prædictis decretum fuerit, non minus quàm si omnes conuenissent executioni mandabitur; quod si paritas vocum interuenerit Secretarius admittatur suffragaturus.

§. 4.

Diffinitorium hoc eandem habebit authoritatem, quam Capituli Congregationis: prætérquam quod in illo leges pro tota Congregatione condere, vel infringere non poterit, ipsius autem erit renunciationem cuiuscumque officij à quocumque factam efficaciter cum sigilli resignatione acceptare, & ad idem officium vacans aliquem sufficere quoscumque Religiosos de grauamine: aut de cuiuscumque tribunalis sententia reclamantes; seu appellantes charitatiuè excipere, & iudicare resistentes, officio priuare ante tempus completum ob causam vrgentem. Capitulum generale Congregationis; aut Prouinciale conuocare. Capitula Prouincialia, & intermedia approbare, & confirmare & quando contigerit vnum, & eundem Patrem à duabus Prouinciis simul in Prouincialem eligi, in Prouincia in qua ipsum vtiliorem iudicauerit stabilire, & pro altera Prouincia alium eligere. Prouinciales personaliter citare (& si opus fuerit) suspendere,

imò & priuare : ipſis autem accedere renuentibus contra eos via iuris procedere , & de alio prouidere : & quidquid per ſententiam diffinitiuè iudicauerit ſupplere. Noua loca iuxta intentionem Capituli Congregationis acceptare. Pœnam vltra grauiorem imponere. Voce vltra annum intra Capitulum Congregationis priuare , & ſimilia pro tempore occurrentia , ad quæ ſicut , & ad omnia prædicta maiorem partem ſuffragiorum concurrere ſufficit , niſi in aliquo caſu maior ſuffragiorum numerus à Conſtitutionibus requiratur.

§. 5.

Declaramus autem quod in omnibus quæ Capitulis Prouincialibus committantur , aut iuriſdictionibus particularibus ſubiiciuntur paſſim in Conſtitutionibus ſiue quoad gratias , ſiue quoad pœnas ad Diffinitorium generale etiam pertineat abſolutè , licèt non exprimantur quæ prout iuſtum eſſe iudicauerit , annullare poteſt , & diffinitiuè cognoſcere , & iudicare , modo expresſè Diffinitorio Capituli generalis non reſeruentur.

§. 6.

Ad Diffinitorium etiam erit decreta , exemptiones , gratias , fauores , diſpenſationes , priuilegia generalia , & particularia , Breuia Apoſtolica , litteras patentes , & alia ſimilia ad ſtatum vniuerſæ Congregationis , Prouinciarum , aut Conuentuum pertinentia , & pro futura obtinenda. Procuratoribus generalibus dirigere, ſine quibus nullus, nec ipſe Vicarius generalis poterit eis talia committere , ſub pœna nullitatis , ac

præterea

præterea priuationis, graduum, & officiorum tam ab impetrante, quam ab imperante ipſo facto incurrenda.

§. 7.

Ipſius quoque tantum erit patrem aliquem ſenen, aut infirmum, & alias ſuperiorem licèt non quinquagenarium qui in regimine vitæ innocentia ſe laudabiliter geſſerit ad quaſcumque commiſſiones generales, prouinciales, Conuentuales, & particulares eligere, & promouere, nec non ſi opus ſit in neceſſariis cum illo ad ea quæ illi pro tempore committentur exequenda diſpenſare valeant, ſecundum Breue Vrbani octaui ſubdatũ vigeſima ſeptima Aprilis, milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi ſeptimi.

§. 8.

Denique ſuperuenientibus quibuſlibet difficultatibus pro expoſitione vel declaratione, definitionum, aut ſtatutorum: ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero diſpoſitio, & declaratio huiuſmodi ad eos tantum, cum inhibitione expreſſa omnibus, & ſingulis aliis fratribus eiuſdem ſe Congregationis cuiuſcumque conditionis ne illis immiſceant, ſicut & omnium eorum quæ pro tempore extra etiam Capitulum generale ordinanda fuerint ſpectare, & pertinere debeant, iuxta Breue Vrbani octaui. *Ad futuram rei, &c.* vt ſuprà.

§. 9.

Nullus eorum niſi grauiter impeditus, & de licentia Vicarij generalis expreſſa abſit ab hoc Diffinitorio, ſub pœna depoſitionis; neque hæc venia dari poſſit pluſquam vni, Vicarius gene-

ralis in hoc Diffinitorio proponet quæ tractanda fuerint, & quilibet alius petita prius venia, si quæ proponenda habeat; grauiora etiam dubia, sicut in Capitulo Congregationis ab vna sessione in aliam deferri poterunt strictissimo secreti sigillo omnia agitata, silebuntur. Quidquid autem in hoc Diffinitorio decisum, & conclusum fuerit dummodo non sit contra determinationem Capituli generalis, aut contra præsentia statuta inuiolabiliter obseruetur, & Vicarius generalis executioni mandare teneatur, iuxta eiusdem Diffinitorij mentem, tempus, modum, & alias circonstantias, quod nisi præstiterit reuerenter admonebitur ab aliquo ex Diffinitorio, & nisi admonitus paruerit in sequenti Congregationis Capitulo pro culpæ modo puniatur.

§. 10.

Si autem Vicarius generalis (quod absit) ita se malè gesserit in officio suo vt merito priuandus sit, putà, si in disciplina regulari quo ad se, vel alios admodum negligens fuerit, & obseruantiæ potius dissipator, quam conseruator. Si notoriè proprietarius, vel alterius voti transgressor euidenter extiterit: vel ob aliquod delictum meritò apud seculares, vel Religiosos diffamatus. Si Capitulum generale tempore præscripto celebrari non curauerit. Si ter, quatervè ea quæ expressè Diffinitorio, aut Capitulo generali reseruantur, aut quæ non nisi de consensu Assistentium generalium iuxta statuta facere potest, per se expedierit: aut in materia graui decreta in Capitulo generali facta admonitus èxecutioni mandari neglexerit, ob hæc, & similia.

§. 11.

§. 11.

Antiquior Aſſiſtens generalis alios Aſſiſtentes, & Procuratorem in Curia Galliæ, imò & Procuratorem generalem in Curia Romana, ſi tunc fuerit intra limites Congregationis, & non aliter poterit per ſe congregare, imò ad requiſitionem aliorum Aſſiſtentium, ad hoc tenebitur, & ſi ex quatuor tres, & ex quinque quatuor conſentiant, idem antiquior Aſſiſtens conuocabit Prouinciales, & primos Diffinitores cuiuſlibet prouinciæ, vt cum ipſis procedatur ad depoſitionem Vicarij generalis, & ad electionem alterius eiuſdem Prouinciæ vſque ad proximum Capitulum generale. Ad hanc autem depoſitionem, vt valida ſit, ſtatuimus, vt ex quatuor partibus ſuffragiorum tres concurrant omnes autem conuocati adeſſe tenebuntur ſub eadem pœna quam incurrerent, ſi ad Capitulum generale nollent accedere, & in ipſorum abſentia procedetur, & hunc etiam paragraphum proportionaliter obſeruari volumus in caſu mortis, donec autem facta fuerit ſupradicta conuocatio, & electio. Aſſiſtens Prouinciæ Vicarij generalis defuncti locum, & authoritatem eius habebit, & conuocationi faciendæ præſidebit, in qua tamen, quæ non propriè locum Capituli generalis habet. Præſidens poterit eligi in Vicarium generalem, ſi ita viſum fuerit.

§. 12.

Quod ſi Procuratorum, aut Aſſiſtentium generalium aliquis morte præuentus fuerit, vel cum cauſa rationabili officio ſuo renunciauerit Vicarius generalis cum reliquis qui ibi aderunt

de successore eiusdem Prouinciæ prouidebit. Si autem (quod Deus aduertat) quis eorum ita malè se gesserit, vt meritò priuandus foret, ad hanc quidem priuationem, & ad electionem alterius concurrent supradicti; & insuper aduocabitur Prouincialis prouinciæ ex qua priuandus fuerit, & ipse tum in priuatione, tum in electione suffragetur.

§. 13.

Deponentur autem regulariter, & priuabuntur tum Procuratores, tum Assistentes generales pro iisdem defectibus, pro quibus Vicarius generalis, ac præterea si se vltrò officio Vicarij generalis intromiserint cum aliqua notabili fraude, & iniuria, & si ipsi obedire renuerint.

Capvt IX.

De officio Procuratorum generalium, & Assistentium generalium.

§. 1.

PRocurator generalis in Romana Curia, & Procurator generalis in Curia Franciæ omnes alios superiores præcedent exceptis tamen Prouincialibus in eorum Prouinciis, & Priore locali, vt in Capite de præcedentiis: ita tamen vt dictus Procurator generalis in Romana Curia Procuratorem Curiæ Franciæ præcedat, & ambo ad residentiam sub pœna priuationis teneantur, nisi

pro

pro ineuitabili aliquo negotio; & pro breui tempore Vicarius generalis de Aſſiſtentium conſenſu aliquando diſpenſare vellet.

§. 2.

Ipſorum officium eſt Congregationis, Prouinciarum, & Conuentuum honores, bona, dona, fauores, & Priuilegia pro viribus ſuſtinere imò, & augere: Vicarium Generalem de omnibus quæ in vniuſcuiuſque curia ſe offerunt Congregationi pro futura, aut nocitura fideliter admonere, atque breuia, litteras patentes, & alia huiuſmodi ſtatum vniuerſæ Congregationis, Prouinciarum, & Conuentuum reſpicientia procurare, de mandato tamen Diffinitorij generalis, & non aliter.

§. 3.

Nullas etiam exemptiones, diſpenſationes, & priuilegia perſonalia, ſiue pro ſe, ſiue pro aliis ſine licentia Diffinitorij generalis procurabunt quinimò potiùs viriliter reſiſtent illis qui res huiuſmodi ſine Superiorum licentia obtinere conati fuerint ſuper quibus, & cœteris ad eorum officium pertinentibus dum confirmabuntur in officio iurabunt ſuper ſancta Dei Euangelia inter manus præſidentis, aut ſi abfuerit inter manus Vicarij generalis, aut alterius ab illo deputati.

§. 4.

Habebunt librum in quo regiſtrabunt præfata, quem deferent ad Capitulum Congregationis: ſi quæ fiant à procuratoribus expenſæ ſoluentur ab iis in quorum fauorem factæ fuerint, ita vt ſi negotia reſpiciant totam Congregationem, ad expenſas tota Congregatio concurrat: Si Pro-

uſinciam aliquam, ſola Prouincia. Si Conuentum, ſolus ille Conuentus, quas Prouinciales, Conuentuum ſuperiores, teneantur ad mandatum Vicarij generalis ſubminiſtrare ſub pœna priuationis officiorum.

§. 5.

Fratres noſtri Romam euntes Procuratori generali Congregationis ibi degenti immediatè ſeſe præſentare, ſuamque obedientiam exhibere, recedentes illam ab eo recipere, eique negotia quæ tractaturi venerint communicare teneantur. Et quamdiu Romæ commorabuntur ſint illi in omnibus ſubditi; nec quidquam abſque illius licentia, aut eo inſcio procurare, tractare, aut impetrare præſumant iuxta Breue Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani octaui. Nuper,&c.

§. 6.

Aſſiſtentes generales erunt ex vnaquaque Próuincia, qui officium quod prius Diffinitores generales exercebant exerceant, & Vicario generali ſuis conſiliis aſſiſtent, & inſeruiant iuxta breuia Apoſtolica, & Congregationis ſtatuta.

§. 7.

Tum Procuratores, tum Aſſiſtentes generales, præter ea quæ de ipſis dicta ſunt in prima parte cap.de præcedẽtiis, in ſecunda parte de Confeſſariis, in tertia parte de litteris,& ſigillis,& de Capitulis vocaliũ,& Conſilij Patrum in omnibus Capitulis generalibus, Prouincialibus,& Conuẽtualibus intereſſe poterunt, & ſuffragari, non tamen ad quoduiſcumque officium in Prouincia aſſumi poterunt. Nullius licentiæ, benedictioni, aut iuriſdictioni ſubmittentur vt iam dictum eſt in prima

ma parte, capite ſeptimo, paragrapho quinto, ſiue in actibus communibus, ſiue alibi niſi ſolius Vicarij generalis à quo egrediendi è conuentu licentiã accipiant, & ſocium ſi voluerit aſſignatum, aut relinquet aſſignandum Priori; qui ipſis petentibus ſine vlla cunctatione concedere tenebitur ſocium aptum, & gratum: conentur tamen ipſi ita prudenter Prioris, & Conuentus neceſſitati ſe accommodare, ne politia perturbetur, & ſuper hoc inuigilet Vicarius generalis ne ſit ex vlla parte abuſus. In Choro ſi quando ipſos officio hebdomadarij fungi contigerit benedictionem quæ ad primam, & completorium dari ſolet ſoli Vicario generali dandam relinquent: & in oratione ſerotina aſperſorium præſentabunt ſoli Vicario generali.

CAPVT X.

De Capitulo Prouinciali.

§. I.

PRæter ea quæ de electionibus in genere, & alia multa quæ de Capitulo generali dicta ſunt, & quæ in hoc Capitulo proportionaliter intelligi & obſeruari debent, niſi præſenti capite diuerſum quid exprimatur. Statuimus quod ſingulæ Prouinciæ authoritate Apoſtolica actualiter diuiſæ ſingulis bienniis feria ſexta ante tertiam Dominicam poſt feſtum Reſurrectionis Domini celebrent Capitulum Prouinciale in Conuentu in præcedenti Capitulo Prouinciali aſſignato

gnato : ad quod ſuffragaturi conuenient Vicarius generalis, vel Præſidens quem ipſe nominauerit, Prouincialis, Diffinitores, Priores & Vicarij hoſpitiorum cum Diſcretis, vt infra, deinde ſocius Prouincialis, prætér quos (exceptis officialibus generalibus) nullus ibi audeat apparere ſine licentia Vicarij generalis, aut Prouincialis in ſcriptis obtenta : qui aliter comparuerit toto tempore Capituli carceri mancipetur,& alia pœna ad arbitrium Diffinitorij puniatur.

§. 2.

Quod ſi quis ex præfatis propter ægritudinem, vel ſimile impedimentum loco, & tempore Capituli comparere non potuerit, agat ipſe,& agatur cum eo ſicut dictum eſt de officialibus generalibus in capite tertio, de apertura Capituli Congregationis, paragrapho ſecundo : ac præterea ſi ſit ſuperior localis mittet per diſcretum debita, & actus conuentuales, & interim cum ſolita authoritate Conuentum ſuum reget,donec ſuperior de nouo electus vel ab iis miſſus, ad quos de iure pertinet actualiter acceſſerit. Quod ſi Prouincialis abfuerit ex tunc vices eius geret primus diffinitor: in eius abſentia ſecundus, & ſic de cæteris.

§. 3.

Feria igitur ſexta ante Dominicam tertiam poſt Reſurrectionem ſi Vicarius generalis (cuius eſt inchoare Capitulum,& ei præeſſe) tunc abfuerit, celebrabitur Miſſa à Prouinciali cum reliquis, quæ de Vicario generali dicta ſunt Capite tertio huius partis paragrapho quarto, & abſentibus amplius non expectatis, etiam ſi numerus præſentium

ſentium minor ſit quam abſentium: faciat proportionaliter quod ibidem paragrapho quinto, & ſexto Vicario generali iuſſum eſt pro lectura præſentium ſtatutorum, & circa litteras pro nominatione & recognitione Præſidentis à Vicario generali ad Capitulum directas.

§. 4.

Præſidens miſſus à Vicario generali perget ad locum vbi Prouincialis eſt, aut ſi malit ad Conuentum Capitulo Prouinciali deſtinatum ante inchoationem eius, & ibi intimet Prouinciali habere ſe litteras Vicarij generalis publicè præſentandas, vt legantur in apertura Capituli cui intererit, & poſt primum mandatum exhibebit, & Prouinciali conſignabit, vt ſeruatis ſeruandis à primo Diffinitore aperiantur, & publicè legantur, quod ſi huiuſmodi litteræ nullæ fuerint publicè, & efficaciter præſentatæ, tunc Prouincialis viua voce pronunciabit præſidentem authoritate præſentium ſtatutorum primum Diffinitorem, in eius abſentia ſecundum, & ſic de cœteris.

§. 5.

Poſt hæc Pater Præſidens hora qua libuerit congregabit Prouincialem, & quatuor Diffinitores ad examinandas litteras teſtimoniales diſcretorum, quos pro defectu tantùm litterarum teſtimonialium poterunt priuare voce actiua, & paſſiua pro electione iudicum cauſarum; Poſt electionem verò dictorum iudicum, tenebuntur eas præſentare eiſdem iudicibus cauſarum iterum examinandas ſimul cum Præſidente.

§. 6.

§. 6.

Post prandium illius diei Præsidens consueto campanæ signo congregabit vocales omnes, quibus ordine consedentibus (si videbitur) breuem sermonem faciet; quo expleto, legi curabit sequentem paragraphum, vsque ad caput quod incipit die Sabathi.

§. 7.

In hac sessione in primis eligentur per vota secreta ex omnibus gremialibus (solo Prouinciali excepto) tres fidelissimi iudices causarum, siue arbitri, quorum officium & electio præscribitur in capite quinto huiusce partis paragraho primo, & secundo, quæ omnino obseruabuntur, & à Præsidente, & à Iudicibus causarum: intelligendo hic de discretis, quod ibi de deputatis Prouinciarum dictum est.

CAPVT XI.

De electione Prouincialis, & quatuor Diffinitorum.

§. 1.

Die Sabathi post Missam solemnem Spiritus sancti, quam celebrabit ipse Præsidens, & cui omnes intererunt, & sacram synaxim sument, etiam gremiales, qui eodem die celebrare non potuerint consueto Campanæ signo congregabit omnes tam vocales, quàm non vocales, & facta pro more lectione præsentis Capitis vsque ad paragraphum sextum post vesperas illius diei, ea finita

finita Prouincialis ſurget à latere præſidentis, & ante eum genua flectet, vna cùm quatuor Diffinitoribus, ibíque humiliter inclinatus, dicet culpam ſuam coram omnibus, & renunciabit officio ſuo, ſigilla illius reſignando inter manus Præſidentis; deinde ſurgentes redibunt ad locum: & poſt eos ordinatim accedent ſimiliter genua flectentes omnes priores, & Vicarij Conuentuum, ſigilla reſignantes. Poſtea primus ex iudicibus cauſarum ſurget clara voce pronuncians ſuo, & omnium nomine vocales hoc modo. *Hi ſunt illi Reuerendi Patres qui in præſenti Capitulo vocem habere debent. Scilicet admodum R. P. Præſidens, R. P. N. Prouincialis abſolutus, Reuerendi Patres Diffinitores R. P. N. R. P. N. R. P. N. R. P. N.* & ſic de cæteris, qui omnes in poſterum ſuæ profeſſionis ordinem tenebunt excepto Prouinciali abſoluto.

§. 2.

Poſt hæc Pater Præſidens nominabit aliquem, vel aliquos quorum imperio Conuentus localis regi debeat vſque ad finem Capituli mandans vt omnes obediant: deinde dicet alta voce. *Qui non fuerint nominati inter vocem habentes egrediantur.* His egreſſis, & ſilentio facto Prouincialis abſolutus incipiet deuotè flexis genibus *Confiteor Deo, &c.* Quod cum eo proſequentur cœteri gremiales, quibus Præſidens dicet, & dabit benedictionem ſicut in abſolutione generali continetur.

§. 3.

Abſolutione finita Pater Præſidens per ſe, aut per alium leget publicè caput de electionibus

in

in genere à paragrapho octauo ad finem vsque, quo peracto adhuc præcipiat omnibus in virtute Spiritus Sancti, vt semotis omni simultate, timore, fauore,, atque odio in Prouincialem, & Diffinitores nullum eligant nisi quem teste Deo, & conscientia digniorem & vtiliorem cognouerint, & omnibus præditum conditionibus per Bullas Apostolicas, & præsentia statuta requisitis, & post hæc omnes ordine accedentes super hoc coram Deo, & hominibus iuramentum præstabunt super sancta Dei euangelia inter manus Præsidentis, qui etiam primus iurabit.

§. 4.

Deinde procedatur ad electionem Prouincialis, qui poterit eligi ex quacumque Prouincia, & quatuor Diffinitorum, quorum duo tantùm poterunt eligi in Superiores locales; alioquin extra Capitulum Prouinciale, & intermedium (in quibus tantum omnes præcedent) Superioris localis correctioni & regimini subiicientur sicut & cœteri Sacerdotes; electio autem eorum sic fiet, accipiet vnusquisque pro voluntate à scriba deputato in diuersis schedulis nomina, & cognomina diuersorum Patrum, ex quibus illam tantummodò mittat in bussulam quæ in medio Capituli erit, in qua fuerit separatim nomen, & cognomen illius quem intendit eligere in Prouincialem Prouinciæ talis N. & qui maiorem partem, vel vt dictum est capite secundo paragrapho primo plura suffragia habuerit pubicabitur electus eodē modo eligentur separatim, & successiuè vnus post alterum quatuor Diffinitores, post quorum electionem, & publicationem publicabuntur

buntur etiam alij tres Patres, qui post Diffinitores plures quàm alij pro eorum officio voces habuerint seruato in eis ordine pluralitatis suffragiorum, & antiquitatis professionis inter patres, quorum nomina scribentur in libro Prouinciæ, vt ex illis possit aliquando suppleri defectus Diffinitorum, (si casus euenerit.)

§. 5.

Prouinciali, & quatuor Diffinitoribus electis, Pater Præsidens incipiet hymnum *Te Deum laudamus*, quem omnes prosequentur processionaliter pergentes ad chorum vel Ecclesiam. Hymno finito Præsidens confirmabit Prouincialem vnà cùm quatuor Diffinitoribus dicens: *Confirmo te in Prouincialem, & vos in diffinitores huius Prouinciæ, dans vobis omnem authoritatem quàm cæteri Prouinciales, & Diffinitores habere consueuerunt secundùm præsentia statuta nostra. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.* Deinde tradens Prouinciali officij sui sigilla dicet. *Hæc sunt insignia quibus insigniri solent, qui tali officio funguntur.* Postea intonabit alta voce. *Saluos fac seruos, &c. Mitte eis Domine, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos, & super Prouinciam illis commissam Spiritum gratiæ salutaris, & vt in veritate tibi complaceant perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde per Christum Dominum nostrum:* omnibus respondentibus, *Amen.*

§. 6.

Post vesperas autem illius diei si Prouincialis, aut Diffinitores electi fuerint ex absentibus, ita

vt infallibiliter die lunæ adesse nequeant, vel quacumque de causa absentes fuerint Patres Diffinitorij congregabunt rursus omnes gremiales, & ab illis per vota secreta eligentur alij qui locum absentium tempore Diffinitorij Capituli supplere possint, & in eadem sessione Præsidens monebit discretos, & reliquos omnes, vt qui litteras habent ad diffinitorium directas, eas porrigant duobus postremis diffinitoribus, qui eas sedulò perlegent, & earum summam in marginè, vel dorso connotent, & suo tempore diffinitorio exhibeant: post quòd Præsidens terminabit sessionem dicens (sicut, & in fine omnium) *Sit nomen Domini benedictum, &c.*

§. 7.

Die Dominica post nonam Pater Præsidens congregabit fratres omnes vocales, & non vocales, quibus ordine consedentibus (dicto pro more) *Adiutorium, &c.* faciet lectionem præsentis paragraphi septimi, quo expleto discretus localis surget recitans nomina fratrum in biennio defunctorum in suo Conuentu, sicut & principalium benefactorum, & personarum Prouinciæ affiliatarum, quæ diem suum obierunt, post hæc surget secundus discretorum scilicet antiquioris Conuentus similiter facturus, & sic alij. Deinde pater præsidens omnes illos orationibus fratrum commendabit iniungens illis in particulari aliquas missas, vel præces pro ipsis recitandis: in præsentiarum verò breuitatis causa dicet cum aliis alternatim *De profundis*, & in fine addent Cantores *Kyrie, &c.* ipse verò *Pater noster, &c. A porta inferi, &c. Requiescant in pace, &c. Domine*

mine exaudi,&c. Dominus vobiscum,&c. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus qui viuorum, &c. Deus veniæ largitor, &c. Fidelium Deus,&c.

CAPVT XII.

De diffinitorio capituli Prouincialis.

§. 1.

Diebus sequentibus congregabitur solum diffinitorium, quod constabit ex præsidente Prouinciali electo, & absoluto, & quatuor diffinitoribus,aut ex his qui in eorum absétia canonicè substituti fuerint, vt dictum est capite præcedenti,paragrapho septimo, ita vt numerus septem patrum semper integer remaneat.

§. 2.

Pro loco autem diffinitorij, ordine, tempore, precibus,(excepto quod hic fiet electio secretarij) præcepto formali præsidentis pro non eligendis indignis, iuramento, aduocatione discretorum,& omnium gremialium, & aliis huiusmodi, quæ continentur in capite quarto de diffinitorio Capituli generalis, à paragrapho secundo, ad vndecimum inclusiuè, seruabuntur proportionaliter, intelligendo hic de prouinciali diffinitoribus & discretis conuentuum, quod ibi de Vicario generali, Assistentibus, diffinitoribus, & discretis Prouinciarum dicitur.

§. 3.

Quia autem tùm per litteras, tùm per discretorum, cœterorúmque gremialium propositiones

à secretario notatas, ac conscriptas, Patres diffinitorij statum Prouinciæ facilè perspicient. Videbunt in posterum quibusnã remediis,& auxiliis indigeat, vt iuxta necessitatẽ prouidère conentur: videbunt etiam & rescindent si quid irrepserit regulari disciplinæ quouis modò noxium,& contrarium: dispensabunt pro singularibus personis cum omni dilectione, & charitate in his quorum dispensatio specialiter diffinitorio Capituli generalis, aut diffinitorio generali non reseruatur, & quamuis vt seruetur inter Prouincias vniformitas non liceat diffinitoriis Prouincialibus facere diffinitiones & declarationes; poterunt tamen in iis, quæ pro bono Congregationis diffinienda, & declaranda esse iudicauerint; facere propositiones ad Capitulum generale per discretum mittendas, & petitiones per litteras Vicario generali, aut diffinitorio generali faciendas, ac prætere poterunt pro Conuentuum politia, & œconomia iuxta diuersitatem & necessitatem locorum facere ordinationes aliquas quas vnà cum electionibus, & aliis Capituli actis mittent ad Vicarium generalem,vt confirmentur,nec antè prædictam confirmationem publicentur,nec executioni mandentur, hanc autem Prouincialis in libro Prouinciæ registrare tenebitur de verbo ad verbum sub pœna suspensionis ab officio.

§. 4.

Tandem procedetur ad electionem Priorum localium secundùm antiquitatem Conuentuum, quoniam verò illis peculiaris incumbit animarum cura, volumus, hic reiterari iuramentum super sancta Dei Euangelia, quo omnes de corpore

pore diffinitorij iurabunt se ad hoc officium non electuros, nisi quos teste Deo & conscientia aptiores nouerint,& digniores:eligātur autem cum schedulis ad instar Prouincialis, & diffinitorum.

§. 5.

In Priorum etiam electionibus delectum haberi volumus iuxta proportionem Conuentuum quibus fuerint præficiendi,ita vt principalioribus Conuentibus digniores etiam Priores destinētur, præ omnibus autem principalis ratio, ac cura habebitur de Prioribus Conuentui nouitiatus destinatis.

§. 6.

Prioribus omnibus electis similiter, & eodem ordine, & modo eligentur hospitiorum Vicarij; deinde eligentur similiter Subpriores, sacræ Theologiæ, ac Philosophiæ lectores, Magistri Nouitiorum, & socius Prouincialis, quæ omnia à Secretario Capituli studiosè conscribentur.

§. 7.

Disponentur postea familiæ, ita vt in omnibus Conuentibus respectiuè sint Sacerdotes, & Confessarij sufficienter, vnus, vel plures Concionatores: ex quibus omnibus duo rectè etiam eligi possint in examinatores nouitiorum, & promouendorum ad sacros ordines, sicut, & ad munus Confessionis, & prædicationis: síntque etiam respectiuè sufficienter Clerici, Conuersi, & Commissi. Cauendum erit præterea ne fratrum copia quoad possibile fuerit Conuentus aliquis grauetur. Nouitiatui etiam, & nouis locis, siue Conuentibus de selectis fratribus prouideatur scilicet, vt tanto citiùs regularis obseruantiæ vigor & bona Religionis fama inibi accrescant.

Demum designabitur Conuentus in quo Capitulum Prouinciale immediatè subsequens celebrandum erit, idem fiat pro intermedio.

§. 8.

Habebuntur duo libri originales in qualibet Prouincia, vnus pro Constitutionibus, & diffinitionibus Capituli generalis: alius pro electionibus, & ordinationibus Capituli Prouincialis, quorum primus conseruabitur in quocumque Conuentu Prouinciæ ad arbitrium Diffinitorij Capituli Prouincialis; & alter conseruabitur in quocumque Conuentu ad arbitrium Prouincialis, quem etiam tenebitur secum asportare ad Capitulum Prouinciæ. Præfatis tamen electionibus & ordinationibus subsignabuntur Pater Præsidens cum omnibus Patribus Diffinitorij Capituli Prouincialis.

CAPVT XIII.

De solutione Capituli Prouincialis.

§. I.

HIs peractis vel tunc immediatè, vel hora quæ Præsidenti videbitur opportunior corã omnibus tam vocalibus quàm non vocalibus publicabuntur ex libro Prouinciæ tantum, electiones officialium per Secretarium dicentem. *In nomine Domini nostri Iesu Christi benedicti. Amen. Anno Domini N. mense N. die N. & loco N. celebratum est Capitulum Prouinciale in quo canonicè*

electi

electi fuerunt in tres indices causarum hi Reuerendi Patres scilicet in primum R. P. N. in secundum R. P. N. in tertium R. P. N. pro corpore autem Diffinitorij electus est in Pronuincialem R. P. N. in primum Diffinitorem R. P. N. in secundum R. P. N. in tertium R. P N. in quartum R. P. N. qui omnes vnà cum R. P. N. Præsidente, & R. P. N. Prouinciali absoluto, scribente R. P. N. in Secretarium dicti Capituli electo, ea quæ sequuntur vnanimi consensu ordinarunt publicari.

§. 2.

Hic legentur nomina, & cognomina vocalium qui ad has electiones concurrerint. Deinde substituti Diffinitorum officium quocumque tempore suppleturi (quod si euenerit) vltimum semper locum habebunt: posteà Priores, & Vicarij Conuentuum: deinde Subpriores, & Lectores Sacræ Theologiæ; & Philosophiæ; Magistri Nouitiorum; & Socius Prouincialis. Dum publicabuntur Priores, & Vicarij (si præsentes fuerint) statim, ac se senserint nominari accedent ad Præsidentem, & genuflexi ab eo confirmabuntur, & accipient sigilla sui officij; deinde obsculata manu Præsidentis ad locum suum reuertentur. Si autem Prior nominatus absens fuerit discretus illius Conuentus ad Præsidentem accedet, & sigillum illius nomine suscipiet, vel (eo absente) Prior Conuentus vicinioris; & Præsidens eum licet absentem cõfirmabit dicens: *authoritate qua fungor confirmo R. Patrem N. in Priorem Conuentus N.* Demum publicabuntur familiæ singulorum Conuentuum exprimendo vniuscuiusque nomen, cognomen, ordinem, &

officium, vt si sit Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Clericus, Conuersus, vel Commissus; Vltimò publicabitur locus Capituli Prouincialis immediatè subsequentis, nec non Capituli intermedij.

§ 3.

Postea Præsidens habita breui aliqua exhortatione dabit absolutionem generalem & postea intonabit hymnum. *Magne Pater Augustine* cum præcibus quæ iubentur in absolutione Capituli generalis supra capite sexto paragrapho tertio.

§. 4.

Hinc omnes quantocitiùs proficiscentur ad locum assignatum. Superiores autem locales, vel in eorum absentia Discreti, aut Superiores vicinioris Conuentus accipient à Præsidente priusquam recedant litteras in forma patenti eiusdem manu propria subscriptas, & sigillo maiori Prouinciæ munitas, in quibus prœmium consuetum, & omnes ordinationes, & electiones in eodem Capitulo factæ clarè contineantur. Assignatio item Prioris, & Subprioris, ac totius familiæ, quas litteras postquam ad proprium Conuentum peruenerint subprior localis, aut alter ex vocalibus eadem die omnibus illius familiæ fratribus Capitulariter congregatis præleget, & prælectione facta omnes alternatim ad Priorem nominatim accedent, & antè eum genuflexi in signum obedientiæ ipsius manum dexteram osculabuntur, & officiales Claues cum inuentariis resignabunt. Quod si tunc Prior, aut Subprior præsentes non fuerint, lectio, & publicatio litterarum ad alterius aduentum reseruabuntur.

CAPVT

Caput XIV.

De officio, & authoritate Prouincialis.

§. 1.

PRouinciali (saluo semper mandato & reuerentia Reuerendi admodum, Vicarij generalis) Priores, & fratres omnes suæ Prouinciæ tanquam Patri, & Pastori promptè obediant, & debitam subiectionem, & reuerentiam cum humilitate vbique locorum exibeant qui verò Prouinciali obedire recusauerit, & in ipsa inobedientia obstinatè per diem, & noctem permanserit, per annum voce careat. Ipse verò in principio sui regiminis cum timore, & tremore incedat quovsque magis per experientiam, quam per aliam sapientiam sit edoctus; in primis diligenter legat, & notet quæ de officio Vicarij generalis scripta sunt, & quæ ipsi competunt secundum suum officium opere adimplere non desinat.

§. 2.

Ad officium eius pertinet totius Prouinciæ curam gerere, & saltem semel idque primis sex mensibus sui biennij omnes Conuentus personaliter visitare, & in eis corrigere ac reformare, quæ contra bonos mores, ac regularem obseruantiam, & disciplinam iuxta Sacros Canones, & Bullas, ac decreta Apostolica, & secundum

regulam, conſtitutiones noſtras, & diffinitiones Capituli generalis inuenerit corrigenda, & reformanda. Apoſtatas ſuos, ſeu fugitiuos infrà quatuor menſes à die commiſſæ apoſtaſiæ (ſalua congregationis diſciplina) recipere, & abſoluere poterit: vltra verò iſtum terminum ad Vicarium generalem pertinebit.

§. 3.

Nullus Vicario generale non contradicente ſine illius licentia habitu noſtræ Congregationis indui, ad ſacros ordines promoueri, ad Confeſſarij, ſiuè Prædicatoris munus aſſumi, nullus ab vna familia in aliam tranſmutari, vel adſcribi, imò nec ab vno Conuentu in alium ſe transferre poterit: fratribus tamen nè Romam, imò neque extra ſuam Prouinciam, nec ad Conuentum alterius Prouinciæ etiam minus remotum concedere non poterit ſine licentia Vicarij generalis in ſcriptis habita, nihil etiam poterit circa concluſiones, ſeu determinationes Conuentuales vocalium, niſi vel in Capitulo Prouinciali, vel intermedio.

§. 4.

Vocem habeat, & locum aſſignatum in prima parte capite ſeptimo, ad Capitulum generale cum deputatis ſuæ Prouinciæ accedere teneatur, & acta viſitationum ſuarum ſecum aſportare, ſuo tempore exhibenda, quod ſi ipſe non acceſſerit per diſcretum mittet ſigillata, & tunc ſi Capitulum in alia Prouincia celebraretur in ſua Prouincia Commiſſarium conſtituat, qui ſit ex Diffinitoribus, quod etiam faciet quoties cum licentia Vicarij generalis exibit è Prouincia, aliter Commiſſarium

missarium pro tota Prouincia constituere non possit, bene tamen pro certis quibusdam negotiis, & particularibus Conuentibus (si opus fuerit) Nullum aliud officium simul habere possit : nec aliquid præcipere toti prouinciæ sub pœna excommunicationis , aut per meritum salutaris obedientiæ , nec Conuentibus particularibus nisi de consensu Diffinitorij Capituli Prouincialis , aut intermedij.

§. 5.

Si lectores Theologiæ, aut Philosophiæ , Magistri , Nouitiorum , aut etiam Superiores moriantur , aut renuncient antè Capitulum intermedium eius erit alios nominare vsque ad dictum Capitulum vbi fiet noua electio , aut iam nominati confirmatio. Si intra sex menses post intermedium ipse nominabit vsque ad Capitulum Prouinciale , & sic nominatus vocem habebit in Capitulo superioris , ad cuius officium substitutus fuerit (nisi tamen aliter suspensione, aut priuatione dignus iudicetur) . Si etiam sumeretur nouus Conuentus eius erit nominare Vicarium vsque ad Capitulum intermedium , vel Prouinciale. Post Vicarium generalem ipse solus poterit benefactores affiliare suæ Prouinciæ.

§. 6.

Stationes quadragesimales , & aduentus in sua Prouincia procuret , & retineat iuxta numerum, qualitatem , & meritum prædicatorum pro tempore quo iudicauerit expedire etiam vltra terminum sui Prouincialatus : quarum stationum numerum , tempus , & prædicatores , si quos nominatim promisit ad Capitulum Prouinciale

deferat

deferat, & ſuccedentes Prouinciales ſuorum prædeceſſorum promiſſa punctim ſeruare, & dictis ſtationibus prouidere tenebuntur, & ſuper hoc inuigilet Vicarius generalis, nè Prouinciales inferiorum ſuorum talenta mortua, & tum Congregationi tum animarum ſaluti inutilia relinquant.

§. 7.

Quilibet Prouincialis ſemel in menſe per litteras certum faciat Vicarium generalem de ſtatu Prouinciæ ſuæ. Extra tempus Viſitationis in Conuentu aliquo formato vbi ſtrictè vigeat regularis obſeruantia commorari teneatur, vt ibi ſe bonorum præbeat exemplum, niſi aliquando vrgentia negotia pro aliquo tempore aliter iuſſerint, familiarum diſpoſitionem à Diffinitorio Capituli Prouincialis factam nequaquam mutet, quin prius executioni mandetur, & poſtea non niſi cum maxima, & euidentiſſima neceſſitate, nè frequenti mutatione moleſtetur corporea fratrum ſanitas, & ſpiritualis recollectio detrimentum patiatur, & Conuentuum negotia perturbentur.

§. 8.

Dum egredietur cum aliquo, quam cum eo qui ſibi à Capitulo aſſignatus eſt ſocius, nouus ille ſocius exeundo ſimpliciter Ianitorem monebit, vt nunciet Priori ſe exiuiſſe cum Prouinciali; niſi aliter Prouincialis iuſſerit.

§. 9.

Si aliquod oriretur dubium à Vicario generali, & Aſſiſtentibus declarandum quancitius eos admonebit vt prouideant.

§. 10.

§. 10.

Archiuij Prouinciæ curam habebit & clauim vnam; alteram Primus Diffinitor; Prior localis tertiam. In eo conſeruabuntur omnia ſcripta, & contractus Prouinciæ peculiares, quod ſi aliquis ex hoc archiuio ſcripturam ſine licentia extraxerit pœnam incurrat vt ſupra capite ſeptimo, paragrapho decimo. Habebit præterea librum quem feret ſecum in quo regiſtrabuntur à ſocio omnes obedientiæ, licentiæ ab eo inſcriptis datæ, & cætera notabilia, quæ durante ipſius regimine acciderint, ſiuè viſitationis tempore, ſiuè alio quolibet.

§. 11.

Si Prouincialis abſens à Prouincia nullum conſtituerit Commiſſarium eius vices geret primus Diffinitor, & in ipſius abſentia ſecundus, & ſic de reliquis, ſicut & in caſu mortis. In caſu morbi grauis, in ſubſidium pro negotiis Prouinciæ; quem voluerit aſſumet ex Diffinitoribus: quod ſi mors euenerit tantum ſex menſibus circiter ante Capitulum Prouinciale, ipſemet Diffinitor locum, & authoritatem habebit vſque ad dictum Capitulum. Sin autem quouis tempore aduenerit Vicarium generalem admonebit vt prouideat de Vicario Prouinciali, qui vſque ad Capitulum Prouinciale poteſtatem habebit: ſocius autem Prouincialis defuncti, erit Vicarij Prouincialis electi ſocius.

§. 12.

Priuabuntur Prouinciales ab officiis præter caſus expreſſos preſentibus ſtatutis pro manifeſta rebellione, aut inobedientia, & ſi mandatis

Vicarij

Vicarij generalis, & Diffinitorij generalis non paruerint, & ea executioni mandari non curauerint, & pro iisdem casibus, pro quibus deponi debet Vicarius generalis.

§. 13.

Prouincialis absolutus nec in Capitulo in quo absoluitur, nec in sequenti poterit eligi in Prouincialem eiusdem Prouinciæ, bene tamen in altera postquam per biennium à præfato officio omninò vacauerit.

CAPVT XV.

De Capitulo intermedio.

§. 1.

CApitulum intermedium eodem tempore, quo Capitulum Prouinciale in medio biennij celebrabitur in Conuentu, à Diffinitorio Prouinciali assignato. Illud constabit ex Prouinciali, & quatuor Diffinitoribus tantum, & si quis eorum abest Prior localis substituatur; si verò absint duo substituatur Prior vicinioris Conuentus, & nullus eorum nisi grauiter impeditus, & de licentia Prouincialis, & reliquorum Diffinitorum absit ab hoc Capitulo sub pœna depositionis.

§. 2.

Ad hoc Capitulum pertinebit renunciationem cuiuscumque officij Prouincialis à quocumque factam efficaciter cum sigilli resignatione acceptare,

tare, indignum priuare, & alios ſufficere Priores, Vicarios, Subpriores, Magiſtros nouitiorum ab vno Conuentu amouere, & alteri cum ſimili officio præficere non niſi ex iuſta, & rationabili cauſa iuxta Sacros Canones, Bullas, & decreta Apoſtolica, ac regulas & conſtitutiones Congregationis, Vicarios nouorum Conuentuum creare, pœnam grauiorem imponere voce vſque ad Capitulum priuare, & peragere ſimilia negotia pro tempore occurrentia, quæ tamen his, quæ in Capitulis Prouincialibus acta fuerint nunquam aduerſentur, ad quæ maiorem partem ſuffragiorum concurrere ſufficit, niſi in aliquo caſu, maior ſuffragiorum numerus hiſce Conſtitutionibus requiratur.

§. 3.

Prouincialis in hoc Capitulo proponet, quæ tractanda fuerint, & quilibet alter ex Diffinitoribus quæ iudicauerit agitanda ſtrictiſſimo ſecreti ſigillo omnia ibi agitata ſilebunt. Congregabuntur autem bis in die, vt negotia quantocitius expediantur: & regulariter hoc Capitulum vltra tres dies, & ad ſummum vltra octo non durabit: & quidquid ibi actum fuerit Prouincialis executioni mandare teneatur.

§. 4.

Peracto Capitulo Prouincialis de omnibus quæ in illo acta fuerint Vicarium generalem per litteras admoneat: & acta mittat, vt ad inſtar Capituli Prouincialis confirmentur, quod ſi neglexerit eadem pœna qua ſupra puniatur, capite duodecimo, paragrapho tertio: quidquid autem extra Capitulum Prouinciale, & intermedium

ſub

ſub quouis prætextu, aut quæſito colore ſinè licentia Vicarij generalis ab illis actum fuerit irritum ſit, & inane.

Capvt XVI.

De officio Priorum localium.

§. 1.

PRiori tanquam patri fratres ſui Conuentus cum omni ſubiectione, (ſaluis ſemper mandatis Superiorum,) in omnibus obediant, ab eiſque in ſingulari reuerentia habeatur, non tamen ſe exiſtimet, vt ait regula poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fœlicem: ſubditis ſuis omnia neceſſaria, tum animarũ ſaluti, tum corporum ſanitati ſubminiſtrare teneatur; eoſque frequenter hortetur, & inducat ad charitatem mutuam, & ad perfectam ſtatutorum obſeruantiam, quod vt efficacius conſequatur debet ſe ipſum bonorum præbere exemplum officio diuino, refectioni communi; & aliis, communitatis actibus quoad fieri poterit libenter intereſſe. In refectione ſua, in veſtibus, in cella, & aliis nihil præſeferat quod cuiuſquam offendat aſpectum.

§. 2.

Vicarium generalem, Prouincialem, Procuratores, & Aſſiſtentes generales ſtatim ad ingreſſum Conuentus honorificè, & charitatiuè ſuſcipiat, ac ſibi ſubditos ad reuerentiam vel obedientiam illis debitam iuxta dignitatem vniuſ-

cuiuſque

cuiusque diligenter adducat in suo Conuentu toto Prioratus tempore personaliter resideat, & cum extra monasterium voluerit egredi, id illi per se, vel per alium significet qui in sua absentia Conuentum regere debet, & si in hoc negligens fuerit ab officio suspendatur. Absentia illius à Conuentu vltra triduum non durabit sine consensu Patrum Consilij, nec vltra octo dies nisi de consensu Capituli Conuentus per vota Secreta habito, & scripto, si autem Prouincialis fuerit in Conuentu; vel absente Prouinciali Vicarius generalis, ab eis vltra octo dies licentiam petet; & non à vocalibus qui nunquam ei vltra viginti dies licentiam concedere poterunt. Quoties autem Prior pro se ipso aliquam licentiam petere tenebitur à Patribus Consilij, vel vocalibus id nunquam faciet nisi per vota secreta sub pœna nullitatis, & priuationis. Prior qui contra supradictas formalitates à Conuentu vltra tres dies absentauerit ab officio suo indispensabiliter suspendatur per duos menses pro prima vice, secunda verò priuetur.

§. 3.

In absentia Prioris Subprior Conuentum gubernabit; in absentia vtriusque (vt dictum est in prima parte capite septimo de præcedentiis) regent successiuè cœteri omnes qui in ordine primi sunt post Subpriorem, qui etiam Priorem in reditu de rebus notabilioribus, quæ in eius absentia euenerunt seriò informabunt. His autem præcipimus in omnibus obediri ad instar Priorum si præsentes essent quod similiter obseruari volumus, si quando Prior ab officio suspensus fuerit,

vel morte præuentus plusquam sex mensibus ante Capitulum Prouinciale, vel alio quouis modo ad gubernandum inhabilis, & alio quocumque tempore donec aliter ordinatum fuerit à Prouinciali, vt supra in capite decimo quarto, paragrapho quinto: qui etiam in absentia Prioris vltra quindecim dies poterit Vicarium constituere, qui Conuentum regat etiam præsente Subpriore cum loco, & authoritate omnimoda Prioris.

§. 4.

Prior ægrotus, vel in vrbe in qua est eius Conuentus Concionator per Aduentum, aut quadragesimam non censeatur absens, quia in necessariis recursus ad eum haberi potest, censeatur tamen notabiliter impeditus, & ideo interim Subprior, vel alius ad quem de iure pertinet reget Conuentum: Capitulo suo tempore conuocabit; & si Prior non accesserit omnium inferiorum culpas audiet, & faciet quæcunque faceret si adesset Prior.

§. 5.

Porrò sicut Prior disciplinam libens habere debet iuxta intentum Patris Augustini, ita, & illam metuendus subditis suis imponere debet, cogitans se Deo pro ipsis redditurum esse rationem, & ideò corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, curet infirmos, corrigat errantes, veneretur antiquos, & de religione benè meritos, ac omnium humoribus cum omni charitate, patientia, & prudentia compatiatur, exhibeat se patrem plusquam iudicem, subditos sustinendo, humiliando, roborando, corripiendo, docendo, & obseruando in omni patientia, & doctrina

habita

habita ratione, & cognitione certa (si fieri possit) Morum, humorum, laborum, officiorum, inclinationum, talentorum, & meritorum vniuscuiusque.

§. 6.

Ipse circa quotidiana ministeria minoris ponderis, quæ per officiales fieri solent, (nisi voluerit) non occupabitur, vt magis seriis negotiis Conuentus facilius inuigilare possit, officia Sacristæ, Quæstoris, Infirmarij, Hospitarij, vestium curam habentis, Ianitoris, Bibliothecarij, & similia iis Patribus, & Fratribus assignabit, qui hiscè melius fungi poterunt pro fratrum consolatione, Conuentus vtilitate, & sæcularium ædificatione, & si in hoc circumspectus non fuerit Prouincialis erit prouidere; official s hebdomadales per se ipsum faciet, & non per alium nisi absuerit à Conuentu.

§. 7.

Prouincialem suum semel in mense per litteras certum faciet de statu sui Conuentus, & ad eum referat, quod modum, vel vires eius excedit. Toti suo Conuentui præceptum sub pœna peccati mortalis imponere non poterit sine consensu saltem Patrum Consilij: Excommunicationem verò nullo modò fulminare poterit contra quemquam ex subditis suis sine Prouincialis licentia in scriptis habita, & præmissa trina Canonica monitione. Nullum poterit ex suis subditis in alium Conuentum mittere: nec in loca vbi nostra Congregatio Conuentum habet, sine licentia Prouincialis; nisi fortè pro eo adiuuando in processione aliqua generali impræuisa

ſi non ſint ſufficientes Religioſi, & reſponſum Prouincialis expectari non poſſet, & tunc adhuc vocalium conſenſus haberi debet, tum in Conuentu petente, tum in concedente. Nullum etiam poterit Prior mittere in alium quemcumque locum vltra decem leucas: nec cuiuſquam abſentiam protrahere vltra quindecim dies ſine conſenſu vocalium, nec vltra menſem ſine licentia Prouincialis.

§. 8.

Non poterit etiam Miſſas vltra ſui Conuentus vires acceptare, nec recipere obligationes perpetuas Miſſarum, imò nec annuales, quæ pluſquam anno excedant terminum officij ſui ſine licentia Prouincialis, vt dictum eſt in prima parte capite quinto, paragrapho primo, ſub pœna priuationis officij ſui, & nullitatis omnium eorum quæ ſecus facta fuerint. Non poterit viridarium, hortum, vel ſimile quid magni momenti, ſicut arbores euellere, nec vllam nouam fabricam Conuentus inchoare, aut iam inchoatam mutare, ſine dicta Prouincialis licentia in ſcriptis obtenta ſub pœna priuationis officij; ſub qua etiam pœna non poterit fundamentum aliquod ex quatuor clauſtri lateribus, vel officinas integras ponere, ædificare, immutare; neque Eccleſiæ fundamentum iam poſitum deſtruere reædificare, vel deſerere: poterit tamen de conſenſu Patrum Concilij cœptam, & approbatam fabricam continuare, & perficere.

§. 9.

Subpriorem ab officio deponere non poterit, ſed ſi neceſſitas ita exquirere videatur eum ſuſpendere

pendere donec Capitulum intermedium ; vel Prouincialis habita rei informatione aliter ordinauerit.

§. 10.

Quæstores cogat singulis mensibus de acceptis, & expensis rationem reddere coram Patribus consilij, & strictè præcipiat eis manifestare quidquid vltra decem aureos in sua potestate habuerint à quocumque, vel quomodocumque acquisiuerint intimando eis paragraphum quintum capitis quinti primæ partis.

§. 11.

Habeat prætcrea quilibet Prior quatuor libros, in quorum primo scribantur eleemosinæ pecuniariæ, vel donationes notabiliores, quæ Conuentui fuerint collatæ, sicut etiam sumptus, & expensæ de quibus omnibus singulis primis feriis sextis cuiuslibet mensis rationem reddet, sicut, & de Missis per se, vel per Sacristam coram Patribus Consilij, qui rationi debitè redditæ subscribent vnà cum ipso: In secundo scribentur Missæ dicendæ, fundationes, & obligationes : In tertio registrabuntur in vna parte omnia acta Capitulorum Conuentualium, & in alia concessiones seu prohibitiones à Vicario generali, vel Prouinciali factæ siuè in visitatione, siuè extra, & ordinationes Capitulorum tum generalium, tum Prouincialium, Commissiones etiam, & litteræ communes. In quarto scribentur omnes contractus, & alia huiusmodi ad Conuentum spectantia, sicut omnia inuentaria Conuentus, & eorum copia dabitur singulis officialibus Conuentus iuxta officium. Cætera quæ per se non potest,

vel poteſt mixtìm, exprimuntur in propriis materiis ; & præcipuè infra Caput decimum ſextum.

§. 12

Officium Prioris regulariter durabit vſque ad futurum Capitulum Prouinciale niſi fortè impegerit in aliquem ſubſequentem defectum. Si Capitulum frequenter non tenuerit iuxta præſentium ſtatutorum tenorem: Si diuino officio , & refectioni Communi ex conſuetudine non interſit : ſi ſine Prouincialis licentia Nouitium induerit, vel authoritate propria ad profeſſionem receperit: ſi per ſe aliquem ad Ordines ſacros miſerit : ſi fratribus ſuis ex conſuetudine verba contumelioſa dixerit : ſi bis , aut ter Conſtitutiones generales , & ordinationes Prouinciales in notabili parte à toto Conuentu ſciens tranſgredi permiſerit vel ſi tranſgreſſores pœnis debitis coercere nihil , vel parum curauerit : Si ſchiſma quo Congregationis , vel prouinciæ pax perturbari poſſit , per ſe vel per alios procurauerit : Si communis vitæ rationem cibi , & potus quantum ipſius veletudo permittit cum aliis fratribus non ſeruauerit : ſi fratribus infirmis ſolatia , remedia, & alimenta neceſſaria ex negligentia non ſubminiſtrarit: Si culpam aliquam commiſerit propter quam Prouincialem priuandum diximus ; ac præcipuè ſi bis , aut ter per ſe fecerit , quod ſine Patrum Conſilij , vel vocalium conſenſu facere non debet : Si ſuis Superioribus inobediens , & rebellis fuerit ; ac demum ſi aliquid commiſerit propter quod præſentia ſtatuta priuandum eſſe alibi duxerit.

§. 13.

§. 13.

De quouis prædictorum confessus vel legitimè conuictus Prior à Vicario generali vel à Prouinciali tempore visitationis, siuè quocumque alio suspendatur, & à Diffinitorio generali, siuè Prouinciali; & intermedio penitùs deponatur.

CAPVT XVII.

De officio Vicariorum , seu Superiorum localium.

§. 1.

COnuentibus siuè hospitiis nostræ Congregationis in quibus erunt minus quam decem fratres de familia, prouidebitur de Vicario qui subditos suos prudenter regere, & benefactores non solum conseruare, sed etiam augere possit. Is autem habebit tam in temporalibus, quam in spiritualibus circa suos subditos etiam hospites eamdem authoritatem,& eamdem obligationem, quam Prior localis, & sicut ipse vocem habebit in Capitulis Prouincialibus, modò sit electus in illis vel alibi eo modo quo iussum est supra capite vndecimo paragrapho tertio. Quapropter diligenter aspiciat quæcumque de Prioris officio dicuntur.

§. 2.

Quotidie Missam Conuentualem, & officium diuinum recitare faciet, vel in tono consueto, (vel si paucitas fratrum non permittat) in tono

officij Beatæ Mariæ Virginis, vel (si nec hoc possibile sit) summissà voce in communi; tamen horis quæ ipsi, vel Prouinciali commodiores apparuerint. Cœteræ verò ordinis obseruantiæ, quæ non ex multitudine fratrum dependent, & à paucis æquè ac multis practicari possunt nullatenus in hisce hospitiis præteriri, vel negligi volumus: præcipuè autem commendamus fratribus in hospitiis degentibus ne orationem mentalem vnquam deserant, vt ea muniti negotia exteriora facilius, & securius expediant. In refectione si sint saltem quinque Sacerdotes, aut clerici legent librum spiritualem alternatim incipiendo à postremis: si verò fuerint minus, vltimus legat circiter paginam vnam plus, vel minus ad arbitrium Superioris; & postmodum qui primus pranderit, aut cœnauerit leget iterum vsque ad finem, & regulariter pendente tota refectione silentium seruabitur.

CAPVT XVIII.

De officio Subprioris.

§. 1.

QVilibet Conuentus in quo fuerint ad minus decem fratres de familia Subpriorem habebit aptum, & idoneum, vt Priorem præsentem cum omni fidelitate & diligentia adiuuare possit & absentiæ vices proindè supplere.

§. 2.

Hic in primis Prioris mandata custodiat, & vltra

vltra poteſtatem ſibi ab eo, & per ſtatuta præſcriptam nullatenus ſe extendet, eum cum omni modeſtia, humilitate, & reuerentia monebit ſi ſtatuta vel Capitulorum aut Superiorum ordinationes tranſgrediatur, aut tranſgredi permittat: Inter fratres ſemper pacem procurabit: pro his in licitis, & honeſtis apud Priorem intercedat; & omnes vt ei debitam obedientiam, & reuerentiam exhibeant verbo, & exemplo efficaciter inducat: horas canonicas, aliaſque ceremonias ſuo tempore præuidere faciat, & officio diuino aliiſque actibus communibus ſemper interſit: caueat vt omnia loca Conuentus munda ſint, & honeſta: ſi officiales rectè officiis ſuis perfunguntur: ſi ſilentium, & ſolitudo locis, & temporibus conſtitutis debitè ſeruentur, & ſi fratres delinquentes inuenerit eos charitatiuè admoneat, imò corripiat, & referat Priori quod modum, & vires ſuas excedit: præcipuè autem nouorum profeſſorum curam gerat modò, & tempore præfinito in prima parte, capite tertiò; niſi in Conuentu ſtudiorum Philoſophiæ, vel Theologiæ Prouincialis hanc curam lectori committendam prudentiùs iudicaret pro bono Conuentus, & vt Subprior Priorem in aliis negotiis commodiùs adiuuare poſſit: maximè autem caueat ne per Conuentum diſcurrant; aut cum Sacerdotibus conuerſentur præſertim tempore recreationis, ſed in cellis ſibi aſſignatis remaneant, & tum pietatis, tum litterarum ſtudiis ſuo tempore, ſiuè etiam operibus manualibus ſe exerceant iuxta conditionem vniuſcuiuſque.

§. 3.

In abſentia Prioris nihil innouabit, neque fieri permittet quòd veriſimiliter nouerit Priorem (ſi adeſſet) non permiſſurum, & eo tempore quantò minus fieri poterit fratres extra Conuentum licentiabit; ipſe verò tunc non egrediatur, niſi ob pluſquam vrgentem neceſſitatem in quo etiam caſu exitum ſuum communicabit ei qui in ſua abſentia Conuentum regere debet.

§. 4.

Religioſi omnes licèt non ſubditi (etiam Priore præſente) exhibeant ei debitam reuerentiam, & Prior authoritatem eius in omnibus tueatur, & ſi caſus euenerit quod in vigilia abſolutionis generalis Prior exiuerit pro ea danda etiam antè viginti quatuor horas ad eum pertinebit.

§. 5.

Si Prior ſex menſibus tantum antè Capitulum moriatur Subprior ſine alia declaratione Vicarius cenſeatur, & ad Capitulum Prouinciale loco Prioris ſuffragaturus accedat: idem iudicium ſit de antiquiore vocali, ſi Vicarius moriatur, vbi non adeſt Subprior.

§. 6.

Cœtera quæ ad officium eius pertinent alibi mixtìm dicta ſunt, tum capite de officio Prioris, tum aliis.

CAPVT

Capvt XIX.

De officio Secretarij Congregationis, & ſocio Prouincialis.

§. 1.

SEcretarius Congregationis vt ſupra in Capitulo Congregationis electus maturus ſit, & grauis quem ſine conſenſu, & non niſi ex iuſta cauſa propter illius culpam, vel inhabilitatem maioris partis Aſſiſtentium, Vicarius generalis officio priuare, aut alium aſſumere non poterit; regulariter reſidebit in eodem Conuentu in quo Vicarius generalis, qui eum ſemper ſecum habebit quando actualiter viſitauerit niſi in caſu infirmitatis, aut ſimili.

§. 2.

Ipſe ſubditorum inter ſe, & cum Vicario generali vnionem conſeruare, & procurare conetur, & illi non ſolum in omnibus humiliter obediat, ſed etiam alios ad debitam obedientiam, & reuerentiam cohortetur.

§. 3.

Dum Vicarius generalis, & Aſſiſtentes capitulariter congregabuntur, ipſe ſcribet quidquid ibi determinatum, aut declaratum fuerit: Ac præterea obedientias, litteras, & alia huiuſmodi quæ ipſi Vicarius generalis iniunxerit: Vocem habebit in Capitulis generalibus, Prouincialibus, & Conuentualibus dum aderit; & de eo nullus Superior

perior inſcio Vicario generali notabiliter diſponet, & nec à Conuentu vſquam exire poſſit ſine licentia Vicarij generalis.

§. 4.

Prouinciali quoque aſſignabitur ſocius à Diffinitorio Prouinciali, in quo primum, & ſecundum præſentia ſtatuta capitis duodecimi, paragraphi ſexti proportionaliter locum habere volumus: eius erit ſcribere obedientias, diſpenſationes, litteras, & alia huiuſmodi à Prouinciali ſibi iniuncta; ac præterea in Capitulis intermediis eamdem functionem, & authoritatem habeat, quàm Secretarius Capituli Prouincialis; in quo & ipſe vocem habebit: de eo Prior notabiliter non diſponet inſcio Prouinciali; ſine eius licentia à Conuentu non egrediatur.

CAPVT XX.

De officio Patrum Conſilij, examinatorum, & aliorum vocalium.

§. 1.

VT poſſit Superior localis negotia Conuentus faciliùs expedire adiungimus ei tres Patres Conſilij, qui erunt ſemper tres primi patres de familia, qui poſt Subpriorem locum, & vocem habebunt actiuam, & paſſiuam: Ad eorum autem officium pertinet, præterea, quæ in officio Prioris, vel alibi propriis locis dicta ſunt vnà cùm Priore, & Subpriore nomine totius Conuentus

uentus diſponere, & ordinare de bonis alicuius momenti Conuentus acquiſitis, & acquirendis, mobilibus, & immobilibus ſeruatis tamen his, quæ in hac materia per præſentia ſtatuta iubentur infrà, vel alibi.

§. 2.

In quibuſcumque etiam aliis negotiis, rebus & occurrentiis grauibus Prior conſilium eorum exquiret; In his verò in quibus iuxta præſentia ſtatuta conſenſus eorum neceſſarius eſt, niſi omnes in idipſum conſenſerint conſultatio fiet per vota ſecreta, rationibus prius hinc, & inde diſcuſſis, & quod tres ex quinque deciderint executioni mandabitur: In grauioribus etiam quandoque negotiis adhuc duo, vel etiam quatuor ex grauioribus patribus poterunt aduocari, qui in hoc caſu ſuffragium ferant: In his autem ſicut, & in aliis Capitulis vocalium, ſicut etiam in Capitulo de diſcreto ſcrutabuntur ſuffragia cum Priore duo Patres Conſilij profeſſione antiquiores.

§. 3.

In bonis emendis, vel alienandis quæ prætium triginta aureorum excedant, vnica ballotatio non ſufficiat, ſed ipſa die poſtera reiteretur, & quod hac ſecunda vice fuerit concluſum executioni mandetur; ſeruata tamen forma, quæ in Bulla fœlicis recordationis Gregorij decimi tertij, & Vrbani octaui præcipitur, & continetur quoad bonorum ſtabilium alienationem.

§. 4.

Tametſi Prior pro ſumptibus ordinariis, & ſimpliciter neceſſariis, victus, & veſtitus quibus ratione officij ſui, & vi præſentium ſtatutorum

ſibi

ſibi ſubditis debet prouidere, illorum conſenſum habere non teneatur; pro maiori tamen œconomia conſilium eorum non negligat, & ſi præterea ad aliquos extraordinarios ſumptus extēdere ſe voluerit, ſi tres aureos excedant in vno menſe conſenſum eorum per vota ſecreta habere tenebitur, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & horum trium aureorum rationem reddere tenebitur coram præfatis Patribus.

§. 5.

Sic non poterit ſine ipſorum conſenſu, exemptionem aliquam notabilem concedere fratribus ſibi ſubditis, rem aliquam Monaſterij quæ ſit conſideratione digna mutuò dare, vel apud quēcumque extra Conuentum deponere, nec etiam extraneorum depoſita intra Monaſterium recipere; viridarium, hortum, vineam, vel ſimile quid plantare, neque alicuius momenti arborem euellere.

§. 6.

Item ſine ipſorum conſenſu non poterit debitum aliquod contrahere vltra decem aureos, pro debito verò excedente aureos centum, vel in bonis Conuentus alienandis, diſtrahendis, impignorandis, vel commutandis circiter centum aureis appretiatis, vltra præſcripta à ſacris Conſtitutionibus, ſeu Decretis Apoſtolicis, non illorum tantum, ſed etiam Prouincialis conſenſus haberi debet ſub pœna priuationis ab officio, & vtraque voce per biennium quod etiam irritum ſit, niſi à Diffinitorio generali approbetur.

§. 7.

Interdicimus etiam Priori ſine conſenſu eorundem

rundem Patrum proceſſum aliquem iudiciarium formare, aut litem incipere. In proceſſibus verò maioris momenti etiam conſenſum Prouincialis, imò & Diffinitorij Capituli Prouincialis, aut intermedij, ſi res ſit maximè notabilis interuenire volumus, ſub eadem priuationis pœna.

§. 8.

Præcipimus præterea vt in omnibus formatis Conuentibus ſit Archiuium in quo ſcripturæ, contractus, & omnia iura ad Conuentum pertinentia tutò conſeruentur, & hoc tribus clauibus ſit clauſum, vnam habebit Prior; alteram ſubprior, tertiam primus Patrum Conſilij, & in eius abſentia ſecundus, & ſic de cæteris, in eodem etiam Archiuio reſeruabuntur pecuniæ eleemoſinariæ, & aliæ: quando autem eas extrahere neceſſarium fuerit, id fiet per commiſſum, vel in eius abſentia per alium deputatum iuxta paragraphum tertium capitis quinti primæ partis, præſentibus Priore, Subpriore, & primo Patrum Conſilij, & notantibus ſummam extractam in libro ad hoc deputato, & illic reſeruato: de qua ſumma expreſſa dictus commiſſus, vel alius deputatus Priori, & Prior Patribus Conſilij rationem reddat, vt ſupra dictum eſt in capite de Priore, qui autem præſumpſerit ſine licentia præfatorum ab hoc Archiuio quidquam ſubtrahere pœnæ præſcriptæ ſubiaceat in capite ſeptimo paragrapho decimo.

§. 9.

Denique quemadmodum Prior in initio ſui regiminis bonorum mobilium ſui Conuentus inuentarium ſuſcepiſſe debet, ita cum ipſe ad Capi-

tulum proficiſcitur, vel alio quocumque modo cedit officio, vel ſuſpenditur ab eo coram Patribus Conſilij eorundem bonorum rationem, & inuentaria reddere tenebitur, ſub pœna priuationis vtriuſque vocis per biennium.

§. 10.

Curabit etiam Prior initio ſui biennij, vt eligantur per vota ſecreta ab omnibus vocalibus ſui Conuentus duo ex illis in examinatores, qui ſint ſcientia, & pietate maximè commendabiles, & hi poterunt etiam eſſe ex Patribus Conſilij, vel Subprior localis.

§. 11.

Ad officium examinatorum pertinet vnà cum Priore examinare quoad ſcientiam eos qui fuerint ad aliquem ſacrorum ordinum, & ad Confeſſionis, vel prædicationis munus promouendi, & eorum officium ad inſtar Patrum Conſilij biennium durabit: & ſi aliquis ex duobus examinatoribus intra biennium mortuus, priuatus, vel in aliam familiam tranſlatus fuerit de alio prouidebitur à vocalibus, & inter duos examinatores primus ſemper erit profeſſione antiquior. In Conuentibus autem ſtudiorum examinatoris munere lectores fungentur.

§. 12.

In Conuentibus adhuc imperfectis, in quibus præter Superiorem tres tantum vocales, vel pauciores de familia fuerint, illi tres; vel pauciores fungentur officio Patrum Conſilij, nec non examinatorum, niſi in hoc caſu Prouincialis talem examinationem, ſibi vel patribus deputatis reſeruare voluerit.

§. 13.

§. 13.

Examen autem quoad ſcientiam fiet ſemper ab examinatoribus tum natis, vt infra dicetur paragrapho decimo ſexto, tum electis in præſentia omnium vocalium quorum erit poſtea iudicare, tum de ſcientia, tum de moribus, & pro vtroque ſimul vnica ballotatione approbare, vel reprobare, eo prorſus modò quo præſcriptum fuit in ſecunda parte capite de ſacris ordinibus, paragrapho ſecundo.

§. 14.

Vocalium omnium officium eſt ad Capitulum Conuentuale ſigno conſueto conuenire, & ibi ſuffragari in iis in quibus ſtatuta eorum conſilium, aut votum requirunt. Vocales autem ſunt omnes Sacerdotes triennales, qui etiam ſi non ſint de familia, imò nec de prouincia: tamen ſi per integram hebdomadam in Conuentu remanſerint cum Superiorum licentia: ſicut Capitulis culparum intereſſe debent; ita, & poterunt intereſſe Capitulis Conuentualibus, vt dictum eſt in capite de viatoribus: illo excepto in quo Diſcretus eligendus eſt; pro hac enim electione ſeruari debent, quæ alibi dicuntur.

§. 15.

Vicarius generalis, & Prouincialis quandocumque Conuentuum Capitulis, Conſiliis, & ballotationibus intereſſe voluerint ſemper præſidebunt, imò Prior dum res aliqua grauis, & extraordinaria in conſilium cadet, vel dum aliqua approbatio, vel electio facienda erit, ipſos pridiè vel paulò ante Capitulum admonebit; tum vt mentem eorum audiat (ſi opus fuerit), tum

etiam vt ipsi de re facienda admoniti, audito Capituli signo accedant (si ita expedire iudicauerint) & tunc ipsis præsentibus, & præsidentibus, Prior erectus cum reuerentia, & honore Vicario generali, vel Prouinciali rem agitandam proponat his terminis admodum Reuerende Pater offert se talis ballotatio facienda pro qua Capitulum conuocaui si ita libuerit suæ Reuerentiæ, & tunc Vicarius generalis, vel Prouincialis ibi præsidens (si velit) aliquam rei informationem petet; & postmodum cœteris patribus proponet: vt procedatur, audiendo ante ballotationem rationes vniuscuiuscumque (si opus fuerit.)

§. 16.

Duo Procuratores, & Assistentes generales in omnibus Conuentibus Congregationis etiamsi ibi sint tantum per modum transitus, omnibus consiliis, examinibus, & Capitulis Conuentualibus interesse poterunt, & sunt tanquam Patres Consilij, & examinatores nati: Ita tamen consiliis, & examinibus intererunt; vt ipsis, & aliis quibuscumque præsentibus semper, & simul cum illis suo vtantur iure tres Patres Consilij, & duo examinatores electi in consulendo, examinando, & suffragando. Vt autem omnes supradicti ad Capitulum accedere possint. Prior sub pœna nullitatis illud semper solito Campanæ signo conuocare debet; & in loco aliquo ordinario, & honesto ad hoc semper destinato cum imagine, tabula, tapete, scrutinio, ballotulis, constitutionibus, & aliis necessariis: & si quis ex vocalibus absfuerit, per vltimum qui tunc adest aduocetur.

CAPVT

CAPVT XXI.

De Discretis, & aliis qui ad Capitulum generale Congregationis, vel Prouinciale deputati sunt.

§. I.

PRæter eos qui ad Capitulum generale, siuè Prouinciale iure officij accedere debent vt suffragentur; sunt, & alij quidam deputandi à Prouinciis pro Capitulo generali, vel à Conuentibus pro Capitulo Prouinciali, vt virtute illius deputationis, Prouinciarum, vel Conuentuum nomine in his suffragentur; & tùm Prouinciarum, tùm Conuentuum, tùm fratrum peculiarium litteras, & necessitates exponant: & ideo tenebitur Prouincialis significare Conuentibus locum residentiæ discreti ad Capitulum generale deputati. In qualibet itaque Prouincia in Diffinitorio Capituli Prouincialis, aut intermedij (si istud præcedat immediatè Capitulum generale) eligentur vnus Diffinitor, vnus Superior localis, qui non sit de corpore Diffinitorij, & vnus discretus assumendus ex simplicibus vocalibus, qui (in quantum fieri poterit) sit, aut fuerit lector. Isti autem ad Capitulum generale accedant cũ Prouinciali suffragaturi. Si quis verò ex deputatis ante tempus Capituli generalis è vita discederet: Præcipimus Prouinciali vnà cum Diffi-

nitoribus, vt petita licentia Vicarij generalis de altero prouideant.

§. 2.

In Capitulis etiam vocalium cuiuslibet Conuentus eligetur ab omnibus vocalibus vnus discretus, qui Capitulo Prouinciali vnà cum Priore suffragentur, & ideò teneantur Prouinciales prouidere de vocalium eligibilium numero sufficienti ad electionem Discreti in Conuentibus in quibus est Prior, & Subprior, in hospitiis verò iuxta commoditatem Conuentus, & possibilitatem Prouinciæ. Eligantur autem per vota secreta, seu schedulas, ita vt canonicè censeatur electus in Diffinitórem, Priorem, aut Discretum Capituli generalis, aut Prouincialis, in quem plura suffragia conuenerunt. Electio discreti non fiat nisi sint tres vocales eligibiles. Eligibiles autem non sint pro officio Discreti, licet possint esse eligentes, qui iam iure alicuius officij vocem habere debent in Capitulo Prouinciali.

§ 3.

Vicarius generalis, Procuratores, & Assistentes generales, & Secretarius Congregationis vocem actiuam habebunt in vna tantum electione Discreti in quocumque Conuentu Congregationis, etiam si ibi non fuerint per quatuor menses. Idem sit iudicium de Prouinciali in quolibet Conuentu Prouinciæ, in quo etiam coniunctim cum Prouinciali suffragabitur socius eius etiamsi non fuerit ibi per quatuor menses: Suffragaturus verò in altero Conuentu quam Prouincialis non nisi ad instar aliorum vocalium.

§. 4.

§. 4.

Tempore quo eligentur Discreti Conuentuales Vicarius generalis,& Prouinciales in eo Conuentu commorabuntur in quo pro tali electione cupiunt suffragari; ab aliis autem tempore electionis se absentabunt.

§. 5.

Ex cœteris vocalibus Conuentualibus in hoc Capitulo de electione Discreti nullus poterit habere vocem actiuam, nec passiuam, qui per quatuor menses ibi non fuerit commoratus, nisi fortè Capitulum Prouinciale anticipari contigerit; tunc enim in Conuentu in quo erunt etiam à breui tempore modo sint de familia suffragabuntur. Illi autem censebuntur de familia, qui ad aliquem Conuentum missi sunt, sine mandato reditus in obedientia expresso. Si autem non sint de familia, statim post receptionem litterarum Prior illius Conuentus in quo sunt prouidebit eis virtute præsentium statutorum de socio non vocali, vt ad familiam pergant. Vt autem ibi sint ante electionem factam; præcipimus, vt semper saltem triginta diebus ante celebrationem Capituli Prouincialis moneantur Conuentus de anticipatione eius, nec si desit aliquis de familia fiat electio Discreti, nisi saltem post decem dies integros à publicatione anticipationis; quo tempore monebuntur, & vocabuntur absentes. Si verò Capitulum Prouinciale non anticipetur quatuor mensibus ante electionem Discreti nullum vocalem de vna familia in aliam transmutare poterit; post electionem verò mutabit ad libitum.

§. 6.

Discretus Conuentualis fiet in hunc modum, octo saltem diebus antequam à Conuentibus suis recedant ad Capitulum profecturi, vniuersis fratribus à Priore Capitulariter congregatis inuocabitur Spiritus Sancti gratia per hymnum. *Veni Creator*, *&c.* cum suo versu, & oratione Beatæ Mariæ Virginis, *Defende*, & versu cum oratione Sancti Patris Augustini. *Adesto Domine supplicationibus, &c.*

§. 7.

Deinde egressis non vocalibus legatur Caput de electionibus in genere cum præceptis ibi contentis; & postmodum vocales iuramentum præstent super sancta Dei Euangelia de secreto seruando, & non eligendo in discretum nisi quem in conscientia crediderint ad hoc aptiorem, & incorruptibiliorem, & omnis practicæ,& subornationis inimicum, & in hac electione scrutabuntur suffragia, qui supra assignati sunt: quod si aliquis cuiuscumque conditionis sit, huic electioni quocumque prætextu se opponat modo supradicta seruentur. Per Priorem localem incarcerabitur donec per Capitulum Prouinciale fuerit aliter determinatum.

§. 8.

Discretus electus,& à Priore Conuentus confirmatus, hora qua sibi videbitur congregabit omnes vocales Conuentus, præter Priorem, breuiterque hortabitur vt vnusquisque referat, quæ operèpretium fuerit Diffinitorio proponere: deinde quilibet incipiendo à postremis proferet ea quæ sibi occurrerint talia cum argumentis, & ra-

tionibus

tionibus (si visum fuerit :) pro tempore tamen nulla conclusio fiet, sed solum nudæ propositiones, vt ab vnoquoque examinentur; & postmodum egredientur omnes.

§. 9.

Post spatium verò trium dierum, iterum iidem vocales congregabuntur, & dictis hymno, & orationibus, vt suprà; proponenda iterum ab vnoquoque proferentur in medium & rationibus hinc, & inde discussis, fiet conclusio per vota secreta, siuè ballotulas, & ea quæ sic à maiori parte digna iudicata fuerint, vt diffinitorio deferantur registrabuntur in litteris, quæ postea à Discreto ad dictum Diffinitorium deferantur.

§. 10.

Quod si Subprior localis in Discretum electus fuerit, antequam præfati vocales à loco Capituli discedant immediatè post electionem Discreti eligetur Vicarius qui præsit Conuentui vsque ad noui Prioris aduentum: quod similiter faciet ei qui debet regere Conuentum quotiescumque aberit vltra viginti quatuor horas.

§. 11.

Si Prior aliquis infirmitate, vel alio iusto impedimento detentus ire non possit ad Capitulum, præter ea quæ dicta sunt supra in capite septimo, paragrapho secundo, Discretus illius, sigillum deferet Diffinitorio cum litteris quibus petat humiliter absolui, & causam suæ absentiæ, & statum sui Conuentus repræsentet, & ipse interim cum solita authoritate, & loco solito Conuentum regat.

§. 12.

Diſcreti Conuentuum pro Capitulo Prouinciali, ſecum ferent nomina, & cognomina, qualitates & officia omnium,& ſingulorum Religioſorum Conuentus tam viuorum, quam etiam defunctorum ab vltimo Capitulo, nec non etiam benefactorum. Diſcreti verò tùm Prouinciarum, tùm Conuentuum ferent duas litteras, quarum prima Diffinitorio generali, aut Prouinciali conſignabitur, & eius forma talis erit. *Admodum Reuerendi Patres nos infra ſcripti gremiales Diffinitorij Prouincialis (aut intermedij) fratrum diſcalceatorum Sancti Auguſtini Prouinciæ talis N.* vel *nos infra ſcripti vocales huius Conuentus N.* vel *Patres Diffinitorij huius Prouinciæ notum facimus paternitatibus veſtris quatenus Pater N. iuxta Congregationis ſtatuta per eos ad quos pertinebat electo Diſcreti, electus fuit in Diſcretum eiuſdem Prouinciæ (vel Conuentus) tali die N. talis menſis huius anni N. cui quidem authoritatem & poteſtatem damus quam cœteri Diſcreti eiuſdem Prouinciæ (vel Conuentus) habere conſueuerunt in Capitulis noſtræ Congregationis (vel Prouinciæ :) proponere verò, vel procurare nomine iſtius Prouinciæ (vel Conuentus) coram Paternitatibus veſtris nihil poterit præter ea quæ ſequuntur.*

§. 13.

Videlicet pro reformatione, vel vtilitate Congregationis, (aut Prouinciæ) ſi Paternitatibus veſtris viſum fuerit : ſcilicet quod, &c. Quod verò attinet ad Prouinciam iſtam vel Conuentum iſtum in particulari, tanquam legitimus, & ſufficiens procurator noſtrorum omninm nomine ea quæ ſequuntur

efficaciter

efficaciter , & de facto procurabit , cui gratam audientiam præstare , & postulata concedere pro ſua benignitate dignentur ; ea autem ſunt videlicet , &c. In fine autem addetur. *Siquid autem præter hæc quæ dicta ſunt nomine iſtius Prouinciæ (vel Conuentus) postulauerit ne eius postulationi quouis modo ſatiſfiat humiliter ſupplicamus paternitatibus veſtris, quibus nos , & iſtam Prouinciam,* ſeu (*iſtum Conuentum*) *intimè commendamus.* Si autem nihil velint petere facta ſimpliciter fide electionis (vt ſupra) dicatur ſtatim : *ſi quid autem nomine iſtius Prouinciæ (vel Conuentus, &c.* Poſtea ſubſcribant gremiales , & litteræ claudantur ; ac ſigillo Prouinciæ (ſeu Conuentus) muniantur : ſuperſcriptio verò ſic habeat.

§. 14.

Admodum Reuerendis in Chriſto Patribus Diffinitorij Capituli generalis Congregationis (vel Prouinciæ N.) fratrum Eremitarum Diſcalceatorum ordinis Sancti Auguſtini proximè celebrandi in Conuentu noſtro N. atque hæ litteræ ſic ſubſcriptæ , clauſæ,& ſigillatæ conſignabuntur inter manus Diſcreti,præter quas litteras ſi quis etiam ex non vocalibus Capitulo ſcribere voluerit, (quod tamen non niſi rarò , & cum maxima neceſſitate fieri debet) has etiam litteras diſcretus ferrè teneatur.

§. 15.

Secunda littera ſic erit in forma patenti per modum obedientiæ, quæ fidem faciat ritè eos electos eſſe in Diſcretos cuius tenor erit vt ſupra. *Admodum Reuerendi Patres , &c.* vſque ad verbum *proponere* excluſiuè ; quàm litteram ſuo tem-

pore tradent Vicario generali, & Assistentibus, (siuè Prouinciali & Dissinitoribus) nec non iudicibus causarum examinandam, cui Præsidens Diffinitorij vel Prior Conuentus, & cœteri vocales subscribent, & sigillum Prouinciæ (vel Conuentus) apponent in inferiori parte; sed eam nequaquam claudent: hæc vltima littera dabitur etiam proportionaliter eadem in forma etiam patenti, non tantũ Discretis Prouinciarum, sed etiã Diffinitoribus, & Prioribus pro Capitulo generali deputatis, vt fides fiat deputationis.

CAPVT XXII.

De Superiorum sigillis, & litteris.

§. 1.

VT vera Superiorum nostrorum: sigilla à falsis dignoscantur. Illa sic præscribimus: sigillum Vicarij generalis tam maius, quam minus continebit in se Imaginem Sancti Patris Augustini Episcopi, cum Pluuiali, mitra, Cuculla ordinis, & corrigia simul; & cum baculo pastorali in manu dextera; & Ecclesiam in sinistra cum hac circumscriptione. *Vicarius generalis fratrum Discalceatorum Sancti Augustini Congregationis Galliarum.*

§. 2.

Quotumcumque aliorum Superiorum sigilla continebunt figuram Sancti Patris Augustini habitu Monachali induti, vnà manu portantis Ecclesiam, & altera cor sagitta transfixum cum cir

circonſcriptione officij vniuſcuiuſque.

§. 3.

Hi autem ſunt Superiores, quibus poſt Vicarium Generalem hæc ſigilla concedenda ſunt; ſcilicet duobus Procuratoribus, & Aſſiſtentibus generalibus, Prouincialibus, omnibus Superioribus localibus. Prouincialibus autem duo ſigilla concedantur, minus ſcilicet quod eſt illis commune cum cœteris officialibus pro ſigillandis litteris, & aliis ad officium ſpectantibus, ita tamen vt maius ſigillum Prouincialis minus ſit ſigillo Vicarij generalis.

§. 4.

Cœteris fratribus noſtræ Congregationis priuata quæcumque ſigilla interdicimus ſub pœna culpæ grauioris. Omnibus autem ſupradictis quibus ſigilla conceduntur, conceditur etiam litteras ſcribere, & à quocumque ſcriptas recipere, & legere ſine cuiuſquam ſubſcriptione, & licentia.

§. 5.

Nullus omninò cuiuſcumque gradus, & conditionis ſit Vicarij generalis, duorumque Procuratorum, Aſſiſtentium generalium, & Prouincialium litteras, ſiuè ab eis ſcriptas, ſiuè ab aliis ad eos miſſas malitiosè aperire, legere, retinere, retardare, aut falſificare præſumat, alioquin pœnæ grauiſſimæ ſubiaceat, & ipſo facto excommunicationem incurrat. Idem, & ſub eadem pœna interdicitur inferioribus Conuentualibus pro litteris Superiorum ſuorum localium; qui tamen ſuorum inferiorum litteras legere, & retinere poterunt, modo ad Vicarium generalem, Prouincialem & alios

alios ſupra nominatos non dirigãtur;aut ab illis ad inferiores ſcribãtur:vnicuiq; enim ad eos ſcribere, & ab eis ſcripta legere præſenti Conſtitutione permittitur.

§. 6.

Nullus iuxta regulam litteras ſiuè à Religioſis, ſiuè à ſecularibus ſcriptas legat,& aperiat,nec à ſe ſcriptas mittat ſub pœna graui,aut grauiori, ſine licentia Superioris,qui miſſas leget,& mittendas præleget,ac ſigillo Conuentus ſigillabit tanquam de eis rationem redditurus:ac præterea ſi ad Religioſos dirigantur ipſis ſubſcribet.

§. 7.

Demum etiam præcipimus ne vllus inferior alterius inferioris, nec Superior fratrum ſibi non inferiorum litteras retineat, legat, aut aperiat, qui contrafecerit puniatur pœna grauiori.



QVAR



QVARTA PARS CONSTITVTIONVM.

De Correctione culparum.

CAPVT I.

De visitationibus.

§. 1.



RÆTER ea quæ dicta sunt de correctione fraterna in secunda parte capite septimo, vt nullius delicta maneant impunita visitationes statuimus; in quibus non tantum Inferiores, sed & præcipuè Superiores ipsi, tùm de vita, tùm de regimine corrigantur (si fortè deliquerint.) Ac primò Reuerendus admodum Vicarius generalis personaliter totã Congregationẽ visitare saltẽ semel in triennio teneatur: veruntamen visitationem incipiet sex mensibus post visitationem Prouincialis faciendam primis sex mensibus sui biennij.

§. 2.

§. 2.

Vicarius autem generalis visitandi gratia alicuius Prouinciæ limites ingrediens Prouincialem de aduentu suo admonebit; & de Conuentu in quo ipsum visitare desiderat, vt ex tunc nullum Patrem Prouinciæ de familia mutet. Hunc autem modum seruabit cum ad visitandum proficiscetur secum assumet Congregationis Secretarium, & saltem duos ex Assistentibus generalibus quorum consilio vtetur. Cùm Assistentium præsentiam sibi pro re aliqua graui, aut negotiis occurrentibus prouiderit esse necessariam poterit eos secum ducere, vel ad se vocare. Cum autem ad Conuentum peruenerit, eo tempore quo libuerit, & consueto Campanæ signo fratres omnes capitulariter congregabit, & genibus flexis incipiet hymnum *Veni Creator Spiritus*: cœteris illum alternatim prosequētibus: quo finito addet *Kyrie eleison &c. Pater noster. ℣. memento nostri Domine in &c. ℟. Visita nos in salutari tuo. Domine exaudi, &c Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus virtutum cuius est totum: quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis Religionis augmentum, vt quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita custodias. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

§. 3.

Deinde breui sermone hortabitur fratres ad perfectionem Monasticam, & morum reformationem, ac præterea instruet eos de pertinentibus ad actum visitationis, præcipuè, ne quis in præiudicium correctionis Euangelicæ peccata alterius occulta aperiat, & detegat, & ne deponat friuola,

friuola, & inutilia, vel alias debitè correcta: & & ideo vel iubeat eis antequam ad visitationem accedant legere quæ de correctione fraterna dicuntur supra in secunda parte, capite septimo, paragrapho primo, secundo, & tertio; & quarto; vel tunc præcipiat Secretatio legere in ipsemet Capitulo quatuor illos paragraphos, & lectos explicet; deinde per Secretarium ferat, & legat sententiam præscriptam.

§. 4.

Frater N. Vicarius generalis fratrum Eremitarum Discalceatorum Sancti Augustini vos omnes, & singulos Patres, & fratres huius Conuentus N. eiusdem Congregationis, ac voti, hortor ac moneo primò, secundò, & tertiò, & præcipio vobis in virtute Spiritus Sancti, & per meritum salutaris obedientiæ quatenus remotis odio, amore, timore, pretio, & præcibus dicatis nobis quantum in Domino poteritis veritatem in omnibus de quibus à nobis requisiti & interrogati fueritis, & insuper aperiatis nobis quidquid notabile scieritis, vel audieritis de Reuerendo Patre Prouinciali; Priore, vel alio quocumque fratre, quod tolerari non debeat: quod si quis vestrum hoc præsens mandatum obseruare contempserit ex nunc pro ut ex tunc eum excommunicationis vinculo innodamus, lecta, & lata fuit hæc sententia Anno Domini N. die N. mensis N. in Capitulo Conuentus N.

§. 5.

Postea prosequatur: hæc autem sunt de quibus ex nunc provt ex tunc vnumquemque vestrum à nobis requisitum, & interrogatum esse volumus. Si in hac Prouincia, & Conuentu à Prouin

Prouinciali, à Priore, & cœteris fratribus (prout par est) mandata Dei obseruantur & custodiantur. Si diuinum officium, tam diurnum, quam nocturnum debitè secundum Ecclesiæ ritum deuotè, & distinctè persoluitur. Si orationibus mentalibus, & aliis exercitiis diligenter assistitur. Si res sacræ cum debito honore, & reuerentia ab omnibus tranctantur. Si fratrum infirmorum cura debitè suscipitur. Si hospites pauperes iuxta Conuentus possibilitatem recipiuntur, atque tractantur. Si fortè votum paupertatis obedientiæ & castitatis ab aliquo violatum est. Si in collocutione cum mulieribus statutorum forma obseruatur. Si aliquis frater nimia familiaritate mulierum notatur. Si quotidiani fratrum sermones honesti sunt, & modesti. Si quis fortè aliquem sollicitauit ad effectum electionis faciendæ de se, vel alio ad officium aliquod in Congregatione nostra obtinendum. Si Ecclesiæ ieiunia, & Congregationis nostræ infringantur. Si solitudo, & silentium locis, & temporibus constitutis excoluntur. Si fratres extra Monasterium missi impunè ad alia loca, vel personas se conferant, quàm ipsis fuerint à Priore specificata, atque concessa. Si prior Capitulum de culpis tenet suo tempore. Si aliquis pacem publicam Conuentus sæpius perturbare conetur. Si quis admonitus offensam fratri suo remittere recusauerit, vel ei loqui noluerit cum scandalo aliorum. Si Theologiæ moralis conferentia ex negligentia deseratur. Si litterarum studia debitè foueantur. Si Superiores, vel subditi præceptum suorum Superiorum obedientiam, vel quoduis aliud punctum notabile

notabile præſentium ſtatutorum, diffinitionum, & ordinationum noſtrarum impunè tranſgreſſi fuerint, vel tranſgredi fecerint, aut permiſerint etiam in minimis ne ad maiora labantur. Deinde præcipiat vt vſque ad finem viſitationis nullus tum Superior, tum Inferior extra Conuentum egrediatur, ſine expreſſa ſua licentia pro qualibet vice.

§. 6.

Hinc viſitationem ſuam incipiet, & in primis alba indutus & ſtola cum duobus cantoribus ſuperpelliceum habentibus, accenſis omnibus candelis cum omni reuerentia, & honore viſitabit coram omnibus fratribus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & ſepulturam fratrum iuxta pontificale Romanum. Deinde Prior porriget illi in charta omnium, & ſingulorum fratrum nomina cum eorum officiis, & qualitatibus quos ordine, quo ſibi videbitur per fratrem aliquem fidelem coram ſe aduocare faciat, alternatim, vt ea quæ ſibi in conſcientia, & veritate iudicauerint viſitatione, & correctione digna, in ſcriptis deponant, & propria nominis ſui ſubſcriptione confirment, qui dicet ſe nihil habere depoſitione dignum, hoc ipſum ſubſcribet nomine ſuo; cauebit Secretarius nè fratres inter ſcribendum aliorum depoſitiones lègere poſſint.

§. 7.

Qui fratrem aliquem iudicialiter accuſauerit ex ſola Suſpicione, & in probatione defecerit, pœnam ſubibit talionis: poterit tamen aliquis non per viam accuſationis, ſed denunciationis admonere Superiorem, non tanquam iudicem,

ſed tanquam patrem de alicuius defectu, etiamſi illum legitimè probare non poſſit, nihil aliud intendens quam ipſius fratris ſalutem, vt ſaltem, qui creditur delinquens in ſecreto moneatur vt caueat imposterum.

§. 8.

Nullo autem modo aduocentur, vel audiantur falſi teſtes, falſi accuſatores, detractores, maledici, vino ſubditi, Infames, & ſimiles ſcilicet qui tales per Capitulum aliquod aut in aliqua viſitatione iudicati,&condemnati fuerint, ſimilium enim teſtimonium nihil omninò valere volumus imò tales de facto voce priuamus actiua, & paſſiua quouſque per aliquod Capitulum, aut Diffinitorium generale fuerint famæ priſtinæ reſtituti.

§. 9.

Iuxta etiam indultum Apoſtolicum non requirimus vt ordinis noſtri Viſitatores, & alij Superiores in Iudiciis, & ſententiis ſuis procedant ſecundum apicem iuris, ſicut in forenſi loco fieri ſolet, ſed ſimpliciter, & de plano ſola rei veritate inſpecta ſecundum confeſſa, vel ſufficienter probata, caueant tamen ne ſine pluſquam legitima cauſa contra charitatem licere ſibi putent propalare ſibi commiſſa, & credita peccata.

§. 10.

Si frater peccatum aliquod commiſerit de quo ſit graue ſcandalum apud ſæculares, neque aliter ſufficienter probare poſſit, poterunt ſuper hoc recipere teſtimonium ſæcularium perſonarum,de quibus non ſit ſuſpicio odij erga ordinem, vel dictum fratrem.

§. 11.

§. 11.

Visitationibus personalibus peractis sacristiam visitabit, & eius tum inuentaria, tum obligationes inspiciat, & si communibus Missarum obligationibus, (vt par est) satisfit, & cauebit quod oleum infirmorum, Reliquiæ Sanctorum, vasa, sacra, & ornamenta quælibet debitè conseruentur. Visitabit etiam librariam, vestiarium, & cœtera Conuentus officinas inspectis omnium Inuentariis: Postea visitabit, & ipsum depositum, legetque librum accepti, & expensi, vt puniat si quid de bonis Conuentus malè insumptum fuerit, Conuentus quoque libros, & librum Prouinciæ in quibus si quid repererit, correctione dignum delebit, quibus, & omnibus Inuētariis subscribet cum terminis approbatoriis si fuerint in statu debito. Demùm visitabit ipsas cellas fratrum à quibus etiamsi expedire iudicauerit visitationem incipiet nè aliquid necessarium ibi desit, aut aliquid superfluum, aut irreligiosum adsit, si etiam pia fratrum consolatio expedire iudicauerit, singulos priuatim alloquetur, & de cuiusque spiritu, & talento periculum faciet, ac etiam de litterarum progressu, & singularium visis, & auditis necessitatibus se pium omnibus patrem exhibebit.

§. 12.

Ex his autem omnibus supradictis Vicarius generalis statum Conuentus facilè perspiciet, & præcipiens ipse, vel habito consilio Assistentium (si secum habuerit;) faciet ordinationes, & formabit sententias quas expedire iudicauerit, easque per secretarium suum scribet, tum in li-

bro Conuentus, tum in libro suo ad hoc deputato à Diffinitorio Capituli generalis suo tempore exhibendas, vt alibi iussum est.

§. 13.

Post hæc Vicarius generalis iterùm omnes fratres capitulariter congregabit pro audiendis eorum culpis; antea tamen breuem aliquem discursum habebit de obseruantiæ necessitate, & correctionis vtilitate, aut similibus, quo finito faciet publicationem ordinationum quas Conuentui præscribere voluerit, postmodum dicet agamus de culpis, & tunc Prouincialis, Superiores, & officiales generales (si ibi visitentur) surgent alternatim de loco, & in medio Capituli successiuè genuflexi, & prostrati accusabunt se humiliter de defectibus commissis, nec se prius erigent quam ab illo iussi fuerint, & interim totus Conuentus stabit erectus, & visitans corriget vnumquemlibet, imò, & sententiam legi faciet, si quæ ipsi formata fuerit propter delicta; si tamen reus inueniretur culpæ notabilis, & diffamatoriæ paucis tantum notæ, coram ipsis tantum de hac peculiari culpa, ante, vel post visitationem corrigetur. Idem sit iudicium de quolibet alio ex grauioribus patribus, pro vitando minorum scandalo; & seruanda eorum bona fama.

§. 14.

Deinde sedétibus supradictis cæteri Sacerdotes ordinatim,&post eos fratres omnes professi dicét publicè culpas suas nemine prorsus exeunte, & si quæ sententia alicui legenda sit, legetur ei dum dixerit culpam suam cum breui aliqua correctione,

ctione, & exhortatione, si sententia sit grauis, vt libentius eam acceptet. Audita verò omnium culpa, absolutio generalis, vt in officiis ordinis continetur fiet, & soluet Capitulum dicendo. *Sit nomen Domini benedictum.*

§. 15.

Præfatus etiam visitandi, & iudicandi modus cum cœteris supradictis de Vicario generali seruetur à Prouinciali, & eorum Commissariis cum proportione officij, & authoritatis alibi expressæ. Non tamen commissarij huiusmodi in Prouinciis, aut Conuentibus, (vbi Commissarij facti sunt) aggrediantur quidquam, nisi prius commissionis litteras coram omnibus capitulariter perlegi fecerint à Subpriore Conuentus: postquam lectionem Prior, & cœteri omnes successiuè cedent eis primum locum, & manum eius dexteram deosculabuntur, & exinde obedient eis iuxta authoritatem in commissione eis traditam, teneatur autem Prior statim ad illorum requisitionem dum ostenderint illi sigillum, & superscriptionem litterarum publicè legendarum fratres congregare capitulariter sub pœna suspensionis ab officio ipso facto incurrendæ, & ex tunc Subprioris erit Conuẽtum regere, & Capitulum congregare.

§. 16.

Visitator generalis autem ex officialibus generalibus in visitatorem Congregationis à Capitulo generali deputatus, visitationis tempore omnes (præter Vicarium generalem) loco præcedens, cum omni diligentia, maturitate, & æquitate commissum sibi visitationis officium studeat exercere, ac sollicitè caueat, nè alios visitando

quidquam faciat, vel omittat, quod postea in eius congrua animaduersione inueniatur corrigendum. Omnes Conuentus intra sex menses ante celebrationem Capituli generalis, cum Secretario, alterius Prouinciæ à Diffinitorio generali sibi assignato visitabit, & tunc si destinatum esset tempus visitationi Prouincialium, ab ea abstinebunt, & vsque post Capitulum generale different, fratrumque omnium tam Inferiorum quam Superiorum præter Vicarij generalis culpas, & excessus secundum Congregationis statuta audiat, & corrigat, & tam in spiritualibus, quam in temporalibus Congregationem reformare, & ad debitum modum viuendi redigere conetur, eodem prorsus modo, & cum eadem authoritate qua supra de visitatione Vicarij generalis dictum est.

§. 17.

Si quis autem cuiuscumque conditionis, & dignitatis quouis prætextu, aut quæsito colore inobediens ipsius mandatis repertus fuerit pœna patiatur, quæ debetur iis qui Vicario generali sunt rebelles.

§. 18.

Quod si Vicarium generalem in aliquo Conuentu inuenerit, non poterit dictus Vicarius generalis eum à visitatione prohibere, nec vltrò de visitatione in aliquo se intromittere: ille autem, & si ab vno quoque fratre inquirere in particulari debeat, si fortè sciat aliquid, vel audierit de Vicario generali quod tolerare non deceat: de correctione tamen non se impediat, nec de suis culpis, vel vnum verbum loquatur in Capi-

tulo

tulo Conuentus, sed eas fideliter. Diffinitorio Capituli generalis præsentet si sibi relatæ fuerint.

§. 19.

Omnia autem per dictum visitatorem statuta, & ordinata tam quoad morum reformationem, quam quoad pœnitentias iniunctas firma, & immobilia permanebunt; nec Vicarius generalis ea poterit mutare, minuere, vel alterare, idem per visitatorem de præceptis, statutis, & pœnitentiis à Vicario generali iniunctis omninò obseruari volumus, & mandamus.

§. 20.

Deponere tamen vel absoluere Prouinciales, Diffinitores, Priores, aut Vicarios Conuentum ab officiis minimè poterit; sed tantum si expedierit suspendet: cœteros autem necessitate exigente deponet, vel absoluet.

§. 21.

Nec vllo modo patiatur in aliquo hospitio quantumcumque minimo ceremonias illas, & sanctas institutiones negligi, ac præteriti, quarum obseruantia de multitudine fratrum minimè dependet: vt sunt (verbi gratia) contemplationes, disciplinæ, silentium, ieiunium, Capitulum, Confessio, Communio, & cæteræ huiusmodi, quæ sic à paucis, sicut à multis obseruari possunt. Quoniam autem tempus infra quod debeat necessarias inquisitiones facere, limitare non potest, sufficit, vt cum sollicitudine fratres vocare faciat, atque audiat, imò antè, & post prandium quotidiè visitationis officium exerceat, vt quam primum se expediat: quod si in aliquo Conuentu

visitatione facta vltra tres dies moram trahere voluerit ad solitum in Congregatione locum redeat, & semper cum magna reuerentia ab omnibus honoretur.

§. 22.

Reuerendissimus Pater generalis totius ordinis S.P.N. Augustini semel in quolibet sexennio personaliter tantum, & cum interuentu, & consilio Primi Assistentis generalis eiusdem Congregationis, & non aliàs, nec vllo alio tempore prædictam Congregationem Discalceatorum visitare, corrigere, & castigare poterit, iuxta tamen eorum Constitutiones, & instituta quibus derogare nullo modo possit, neque ipsis Discalceatis vllam exemptionem, aut libertatem concedere, sed illorum transgressores castigare, ac pœnis in eisdem Constitutionibus contentis afficere, extra quam actualem visitationem, nec ipse Reuerendissimus Pater generalis recipiatur, nec vllus frater prædictæ Congregationis Discalceatorum ad eum appellationem, vel recursum habeat. In visitatione vtetur Secretario eiusdem Congregationis Discalceatorum & eo absente, vel impedito alius ex eadem Congregatione per Capitulum generale, vel per Diffinitorium dictæ Congregationis per vota secreta eligatur. Ad collectas, seù quasuis expensas tam Reuerendissimi Patris generalis, quam supradicti ordinis prædicta Congregatio propter eius paupertatem minimè teneatur. In visitatione vtetur paupertate, & victu ordinario eiusdem Congregationis Discalceatorum. Cum reuerendissimus Pater generalis visitaturus accedit statim ac Conuentum ingressus

ſus ad ſignum Campanellæ omnes fratres conuenient, & flexo genu ſinguli manum deoſculando benedictionem ipſius accipiant, quod idem fiat quando Vicarius generalis viſitaturus accedit.

CAPVT II.

De culpis, & pœnis in genere.

§. 1.

CVm præcipua pœnas infligentium intentio, debeat eſſe peccantium emendatio, ſint Superiores in ſuis correctionibus alieni ab ira, & aliquando mitius, aliquando acrius cum fratribus delinquentibus agant, ſicut magis in Domino viderint expedire cum dilectione hominum, & odio vitiorum.

§. 2.

Fratres verò correcti pœnitentias, ſibi impoſitas humiliter acceptabunt, & cum emendationis propoſito libenter adimplebunt, vbicumque; itaque à Superiore ſuo reprehenſi fuerint, ſtatim genua flectent, & ſilendo confiteantur humiliter culpam ſuam, vel ſaltem in re graui religiosè ſe excuſent, nec indè ſurgant donec eis iuſſum fuerit.

§. 3.

Quia autem culpæ ſunt leues, mediæ, graues, grauiores, vel grauiſſimæ, quælibet ex his debet habere pœnam ſibi proportionatam (vt infra) Prior imponet per ſe ſuis ſubditis pœnam pro

culpa leui, media, & graui: Vicarius generalis, & Prouincialis pro grauiori: solum Diffinitorium pro grauissima, & prohibetur tùm Priori, tùm Prouinciali, tùm Vicario generali, nè pœnas sibi permissas ad alios deferant.

§. 4.

Nulli imponetur pœna grauis nisi prius dicatur ei causa pro qua imponitur, sub pœna nullitatis cuiuscumque sententiæ secùs latæ. Nullus etiam sub quocumque prætextu impedire audeat inquisitionem, vel correctionem cuiuscumque Superioris sub eadem pœna quam reus subire debuisset, si de sua culpa conuictus fuisset. Nullus etiam inferior dispensare, vel absoluere possit à pœnis per Superiores inflictis, neque facilè Superior ab impositis ab inferiore ipso inconsulto.

§. 5.

Nè autem Superiores in corrigendo modum excedant ipsis prohibetur, nè quis audeat à suis subditis veritatem alicuius delicti extorquere per supplicia, & tormenta, quæ periculum personale, & dolorem corporeum inducunt. Secundò nè dum aliquis Superior fuerit notabiliter læsus, siuè in honore proprio, siuè in persona condemnet eum à quo læsus est, cum non debeat esse iudex in propria causa, & ideo Prior ad Prouincialem, hic ad Vicarium generalem, & iste ad Assistentes recursum habeat, quibus omnes cuiuscumque gradus, & conditionis existant ab iis iuridicè interrogati respondere, & subscribere teneantur sub pœna Superioribus suspensionis ab officio, & cœteris pœnæ grauioris ipso facto

in

incurrẽdæ. Tertiò ne in rebus ſaltem grauioribus, vel grauiſſimis vnquam procedatur, niſi auditis, vel ſaltem citatis partibus.

§. 6.

Interdicimus etiam nè quis penes quemcumque iuxtà, vel extra Congregationem noſtram teſtimonium ferre poſſit, abſque ſuorum Superiorum expreſſa licentia. Decernimus inſuper quod ſi quis aliquem fratrem apud alium, quam Superiorem, vel Prælatum ordinis accuſauerit ipſo facto ſit ab omnibus gradibus,& voce vtraque priuatus vſque ad diſpenſationem Capituli Congregationis. Verùm vt correctio apud nos non tantum fiat cum charitate, ſed etiam cum fructu; & humilitate recipiatur; Appellationes à correctione regulari pœnitus prohibemus.Quapropter ſi quis à proceſſibus, & ſententiis, viſitationibus & correctionibus indebitè etiamſi ad Superiorem appellauerit ex nunc provt ex tunc ſic ineptè appellantem voce priuamus per trienium. Indebitè autem appellare eum dicimus,qui vel pro pœna graui vel pro defectibus legitimè probatis pœnam quamlibet taxatam in Regula, vel Conſtitutionibus ſubire recuſat, ſed appellationis verbo vtitur ad prudentis, & timorati viri arbitrium pro ſubterfugienda, vel differenda pœna. Inhibemus etiam nè quis pro huiuſmodi correctionibus recurſum habeat ad iuriſtas, vel quaſuis alias perſonas, quæ non ſint noſtræ profeſſionis, vt ſe vel alium à pœna eximat, ſi quis contrafecerit pœnis ſupradictis abſque diſpenſatione ſubiaceat.

§. 7.

§. 7.

Præterea interdicimus, & hoc per meritum salutaris obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, nè quis Religiosus à correctione, vel sententia quacumque à suo Superiore facta, vel facienda ad quempiam sæcularem siuè extraneum Iudicem appellet, vel appellanti adhæreat, necnon sub pœna priuationis officij, & vtriusque vocis per biennium, nisi appellationi infra tres dies renunciauerit, & ab ea omninò destiterit, eamdem pœnam incurrat is qui pro correctione siuè facienda, siuè fugienda ad tribunalia secularia recurret, super hoc seruetur Bulla fœlicis recordationis Clementis octaui.

§. 8.

Vltrò etiam præcipimus per meritum salutaris obedientiæ, & sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nè quis fratrem aliquem, vel prælatum falsò coram aliquo Superiore, vel officiali nostri ordinis, seu quouis alio Iudice accuset, vel contra aliquem falsum testimonium reddat,, vel falsum testem det seu inducat, & dari faciat, vel falsò iuret, aut iurare faciat in iudicio. Quod si quis de tali malitia, aut temeritate conuictus fuerit vltra excommunicationis censuram, & pœnam imposterum eius testimonium nunquam in iudicio admittatur, pro infami habeatur, & in visitationibus non nisi ad culpam dicendam aduocetur.

CAPVT III.

De Capitulo culparum.

§. 1.

IN omnibus Conuentibus noſtris ſiuè pauci,ſiuè multi fratres ibi fuerint de familia ſingulis feriis ſecundis, quartis, & ſextis non impeditis feſto aliquo,tempore orationis mentalis matutinæ per Priorem, aut ſi is ægra valetudine, vel ſimili ineuitabili impedimento detentus fuerit per Subpriorem aliumvè, cui de iure debetur fiet Capitulum de culpis vt ſequitur.

§. 2.

Fratres omnes qui his Capitulis culparum intereſſe debent audito Campanæ ſigno conuenient ad Capitulum poſt lectionem meditationis, quæ fiet in fine litaniarum, ibique genuflexi expectabunt Priorem, qui feria ſecunda, & quarta dicto. *Adiutorium noſtrum, &c.* ſine alio ſermone audiet breuiter, & corriget ordinatim, & alternatim profeſſorum culpas, ordine infra notando, deinde finiet dicens. *Sit nomen Domini benedictum, &c.*

§. 3.

Feria autem ſexta, aut ſabatho ſi illa fuerit impedita in qua præcipuum Capitulum haberi debet. Prior ſurgens dicet. *Adiutorium noſtrum, &c.* omnibus aſſurgentibus & reſpondentibus *qui fecit cœlum & terram*, deinde leget vnum, vel duo

duo puncta Regulæ, præsentium statutorum, Diffinitionum, ordinationum, & cæremoniarum, præsertim de aliqua materia quá cognouerit à suis subditis minus quam par est obseruari, vel aliquid de summorum Pontificum, aut Concilij Tridentini decretis ad vocationem nostram pertinentibus, & scitu necessariis, & lecta (si opus fuerit) explicabit, & fratres de necessariis admonebit postea dicet. *Agamus de culpis* quo audito Nouitij (si qui fuerint, & qui feria tantum sexta huic Prioris Capitulo aderunt) statim genuflexi se in facies suas alternatim prosternent; ita vt primus Nouitius solus prostratus dicat culpam suam incipiendo ab his verbis. *Benedicite Pater* & à Priore corrigatur, deinde secundus se accuset, postea tertius, & sic de reliquis. Nouitiis egressis idem facient simul Clerici professi, Conuersi, & Commissi, ita vt vnusquisque suo ordine se accuset, deinde illis omnibus simul egressis idem facient singuli Sacerdotes; & hic idem ordo, & modus dicendi culpas suas seruetur etiam in Capitulis feriæ secundæ & quartæ; excepto quod in his duabus non aderunt Nouitij pro quibus sicut, & pro nouis professis seruabitur quod dictum est in prima parte capite tertio.

§. 4.

Nè autem (quod absit) in Capitulo contentiones oriantur nullus à Superiore correctus respondere, vel excusare se audeat, nisi venia petita, & obtenta, hisce verbis, *Benedicite Pater*, qui contrafecerit, aut etiam post, vel extra Capitulum culpam suam, aut alterius insolenter, & pra

proterve defendere ausus fuerit, pœnæ graui sine vlla dispensatione subiaceat, nisi tanta fuisset insolentia, vt ipsa Superiorum iudicio non sufficeret.

§. 5.

Finito Capitulo de culpis Prior dicet *Sit nomen Domini benedictum* reliquis respondentibus *ex hoc nunc & vsque in sæculum*, & si quid vocalibus aut Patribus Consilij habuerit proponendum, nisi res maximè vrgeat post missam Conuentualem, vel ad aliam horam commodiorem differet, ne quod superest orationis, & officij sæpius deseratur.

§. 6.

Si quis fratrum propter ineuitabilem aliquam occupationem etiam de Prioris licentia præfato Capitulo de Culpis non adfuerit eodem die in prandio coram Priore, & non longè ab eo genuflexus, & prostratus dicat culpam suam, & si non dixerit indispensabiliter, & grauiter puniatur.

§. 7.

In solemnissimis autem festis, vt potè Natiuitatis, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ, & sancti Patris Augustini feria sexta non agetur de culpis, sed Priori strictè præcipitur, vt per se, vel saltem per alium ad hoc idoneum fratres capitulariter congregatos aliquo sermone præparet ad proximam solemnitatem cum fructu, & veneratione celebrandam, Prior qui tam laudabilem consuetudinem infregerit in visitatione puniatur.

CAPVT

CAPVT IV.

De culpa leui.

§. 1.

CVlpa leuis illa dicitur quæ committitur à fratribus ex fragilitate, vel inaduertentia, vt ſi quis in Miſſæ Miniſterio, aut diuino officio paruum aliquem errorem commiſerit, vel ad aliquem communitatis actum tardiùs venerit, ſi quis in Choro, Eccleſia, Refectorio, vel alibi aliquam ceremoniam omiſerit, aut curioſius circonſpexerit, ſi quis ex inaduertentia aliquid ſuum dixerit, habitum laceratum, vel maculatum geſtauerit, librum deturpauerit, ſine expreſſa licentia biberit, vel modicum quid comederit, ſi quis aliquod vtenſilium inopinatè fregerit, vinum, vel oleum fuderit in Dormitorio, vel aliis ſilentij locis ſtrepitum aliquem fecerit, portam aliquam immodeſtè clauſerit, ſilentium locale, vel temporale fregerit, verbum otioſum, vel vaniloquium diſſolutè protulerit inordinatè & diſſolutè riſerit, aut vociferatus fuerit, rumores, & vanitates ſæculi coram fratribus recitauerit, alios interloquendum interruperit, aut fratri tranſeunti reuerentiam inclinato capite non præſtiterit.

§. 2.

Pro his, & ſimilibus culpis Prior iniunget, vel in ipſo ſtatim loco vbi deprehenſi fuerint, vel alibi

alibi recitare genibus flexis vel brachiis extensis quinquies orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, vel psalmum *Miserere*, & similia.

§. 3.

Item pœna leuis est in principio refectionis intelligibili voce genibus flexis in medio refectorij alicuius culpæ ibidem nominandæ à fratribus veniam postulare, vel ipsorum pedes deosculari, siuè vna pitantia, vel vino in prandio carere, & quid simile.

CAPVT V.

De Culpa media.

§. 1.

CVlpa media censebitur si quis à Choro, Refectorio, vel alio communitatis actu abfuerit sine Superioris licentia, vel ab eo sine benedictione Præsidentis exiuerit, si quis cum sæcularibus sine licentia ex professo, vel de rebus inanibus locutus fuerit, si quis Cellam alterius relicto ostio aperto de die ingressus fuerit, si quis officinam aliquam communem, quales sunt Infirmaria, Culina, vestiarium, & similes sine obedientia intrauerit, si quis in reditu ad Monasterium corrigiam Superioris genibus flexis deosculatus non fuerit, si quis sinè licentia notabiliter comederit, simul, & biberit, si quis de victu, & vestitu coram fratribus murmurauerit, si quis fratrem suum petulanter tetigerit, vel iocosè percusserit, si quis nocte silentium fregerit,

§. 2.

Pro his, & similibus culpis Prior iniunget in terra, vel in mensa erectum, vel genibus flexis in medio Refectorij comedere, & simul vino & pitantia vna carere. Item pœna media est veniam culpæ vt supra petere, & simul singulorum pedes deosculari, & aliæ similes pœne mixtæ, seù simplices duplicatæ.

CAPVT VI.

De Culpa graui.

§. 1.

CVlpa grauis incurritur si quis immodestius cum fratre aliquo, vel cum seculari iratus contenderit aut si ipsis opprobrium, vel nomenclaturam, quæ in ipsorum derisum cedat dixerit, aut scripserit, si quis alicui defectum naturalem obiecerit, vel aliam culpam pro qua iam satisfecit, si quis ex deliberatione aliquod mendacium dixisse deprehensus fuerit, inter fratres discordias seminauerit, aut turpem sermonem protulerit, si quis absque necessitate aliquid licet verùm cum iuramento affirmauerit, aut negauerit, si quis alicui detraxerit, vel de eo grauiter apud fratres murmurauerit, si quis silentium frangere in consuetudinem duxerit, aut ieiunium Religionis fregerit.

§. 2.

Præterea culpa grauis est si quis cellam alterius

rius per diem ſine licentia Prioris abſente fratre intrauerit, vel præſente oſtium poſt ſe clauſerit. Si quis alterius cellam non quidem clauſo poſt ſe oſtio, ſed noctù intrauerit, Si quis rem quampiam è cella alterius, vel etiam officina communi ſine expreſſa Superioris licentia aſportauerit. Si quis alicuius fratris, vel ſecularis litteras clauſas, vel ſigillatas apperuerit, aut malitiosè retardauerit, ſi quis peregrè proficiſcens infra tempus ſibi à Superiore aſſignatum culpa ſua reuerſus non fuerit. Pro his, & ſimilibus culpis Prior iniunget diſciplinam ſupra ſcapulas publicè in Refectorio faciendam tempore pſalmi *Miſerere* à lectore recitandi: Item ieiunium in ſolo pane, & aqua.

§. 3.

Præterea pœna grauis eſt patientiam portare ſine pallio ad inſtar Nouitiorum, non tamen vltra quindecim dies, vel tanto tempore poſtremum locum poſt omnes fratres ſuæ conditionis tenere. Item pœna grauis eſt voce, & loco ſimul carere, non tamen vltra menſem. Denique pœna grauis eſt pœnam quamcumque mediam duplicatam, vel etiam triplicatam ſuſtinere.

§. 4.

Omnes præfatas pœnas Prior poterit per ſe, & ſine alicuius conſilio ſuis ſubditis imponere, & ſi viderit has omnes pœnas hactenus præfixas non ſufficere ad correctionem alicuius, eaſque ſæpius inflictas ab aliquo contemni permittimus vt tali fratri poſſit Prior leuem culpam mutare in mediam, & mediam in grauem cum finis legis ſit non tam pœnarum impoſitio, quam morum emẽdatio.

CAPVT VII.

De culpa grauiori.

§. 1.

GRauior culpa incurritur, si quis formali præcepto sibi, vel omnibus imposito contraiuerit, si quis post professionem suam diuinum officium recitare neglexerit, Si quis proximum præsentem vel absentem verbo, vel scripto grauiter læserit, si ex votis aliquod violauerit, si extra Conuentum sine licentia pernoctauerit, si Superiorum suorum officium vsurpauerit, vel eorum litteras ad inferiores missas, aut ab inferioribus ad ipsos aperuerit, aut ex industria retardauerit, si Superiorum, aut alicuius Communitatis litteras falsificauerit, aut sigillum eorum finxerit, aut adulterauerit, si intra, vel extra Monasterium cum Superiore suo insolenter, & tumultuosè contenderit, aut verbum aliquod contumeliosum dixerit, vel quauis alia via rebellis extiterit, si foliis taxillis, & similibus luserit, si cellam fratris absentis, vel præsentis noctu sine Prioris licentia intrauerit, & ostium post se clauserit. Deniquè si quodcumque peccatum mortale commiserit, pro similibus Culpis Vicarius generalis, aut Prouincialis pœnas subsequentes imponent.

§. 2.

Primò semel apprehendere disciplinam, & vesci

vesci pane, & aqua, ac postea includi in cella per mensem, & interea nullum alloqui, chorum non ingredi, voce carere, & nullo officio fungi.

§. 3.

Secundò pœna grauior est voce, & loco priuari per mensem, & singulis sextis feriis pane solo,& aqua vesci in prandio. Vicarius generalis, & Prouincialis non poterunt priuare voce, & loco nisi per sex menses, non tamen pro eligendo Capituli Prouincialis Discreto.

§. 4.

Tertiò pœna grauior est per mensem morè nouitiorum in Conuentu sine pallio patientiam ferre, & in choro Refectorio, & alibi intra Monasterium postremum tenere locum, post etiam Commissos professos, & interea singulis sextis feriis publicè, vt supra disciplinam sumere.

§. 5.

Deniquè pœna grauior est in carcerem recludi ad spatium quindecim dierum, & interim singulis sextis feriis cum solo pane, & aqua ieiunare: hæ pœnæ pro qualitate delictorum, personarum & circunstantiarum mitius, grauiusque imponentur.

***

CAPVT VIII.

De culpa grauissima.

§. 1.

CVlpa grauissima censetur si quis aliquod graue peccatum mortale cum magno fratrum, vel secularium scandalo perpetrauerit, si quis Superiorem suum percusserit, vel etiam quauis alia notabili iniuria affecerit, si quis Confessionis sigillum violauerit: Denique si quis in Congregatione nostra schisma aliquod, vel quoduis aliud damnum graue molitus fuerit, aut quodlibet aliud crimen commiserit, propter quod leges ciuiles triremium, aut mortis pœnam imponant.

§. 2.

Pro his, & similibus delictis Diffinitorium Capituli generalis, aut generale Diffinitorium imponet pœnam aliquam ex sequentibus iuxta quantitatem delicti Commissi.

§. 3.

Pœna autem grauissima est carcerem per annum sustinere cum ieiuniis in pane, & aqua singulis septimanis feria secunda, quarta, & sexta. Pœna autem grauissima est duplicatam, vel triplicatam pœnam aliquam grauioris culpæ sustinere.

§. 4.

Pœna præterea grauissima est, vt in Capitulo Superior breuem aliquem sermonem habeat de

de

delicto perpetrato, iustitiæ necessitate; & similibus, Reo interim in medio genuflexo, & cum habitu nudatis scapulis ad disciplinam subeundam præparato, fune ad collum cum petra: iuxta Euangelium ligato, exinde Superior sententiam Rei per aliquem ex patribus grauioribus legi faciet, & ex tunc fratrem Reum virgis cedent, singulis infligentibus tres ictus, & sic verberatus in carcerem trudatur quantò tempore à Diffinitorio iudicatum fuerit, ibique solo pane, & aqua vescatur ter in hebdomada ad eiusdem Superioris arbitrium, & licet delictum cum magno sæcularium scandalo commissum fuerit, prædicta tamen Superior coram fratribus tantum executioni mandabit. Nolumus siquidem personas sæculares fratrum nostrorum correctioni interesse.

§. 5.

Denique pœna grauissima est, ad arbitrium Capituli, aut Diffinitorij generalis ad carcerem perpetuum condemnari, vel pœnis & censuris plecti, & tandem habitu nostræ Congregationis priuari: seruato tamen decretò Vrbani octaui.

§. 6.

Si autem (quod Deus auertat) magicis, vel maleficis actibus quis operam dederit nullus è nostris Superioribus præfatis excessibus se intromittat in terris vbi adest Sanctum Inquisitionis officium: ibi si quidem ex Bulla fœlicis recordationis Pauli Papæ quinti, huiusmodi excessuum punitio Superioribus ordinum inhibetur, & Patribus contra prauitatem hereticam Inquisitoribus omninò cognoscendi, puniendi commit-

tantur, ac reseruantur, sub pœnis in eodem Bulla contentis.

§. 7.

Si quis verò Alchimiæ per se, vel per alium operam dederit directè, vel indirectè, grauissimæ pœnæ subiiciatur, & inhabilis ad quæcumque officia indispensabiliter remaneat.

Capvt IX.

De pœna carceris.

§. 1.

Omnibus Conuētibus nostris prouideāt Prouinciales, vt sit carcer vndique munitus, & tutus, & qui alteri vsui non applicetur, non sit tamen adeo in tetro, obscuro, & infimo loco, vt fratres necentur, vel infirmentur, sed vt charitatiuè corrigantur, & tutò seruentur.

§. 2.

Qui propter sua demerita, & per modum pœnæ in carcerem coniectus fuerit, antequam primò claudatur, priuetur Capucio, ei non reddendo donec è carcere educatur, nisi aliter in sententia exprimatur, & nisi dum ad celebrandum, vel audiendum sacrum procedet; hoc enim omnibus quocumque modo incarceratis permitti volumus diebus festiuis, quo secretius fieri poterit, nisi de eorum fuga, vel scandalo valdè probabiliter timeatur.

§. 3.

§. 3.

Per modum pœnæ nulli Priori licebit fratrem carceri mancipare, vel in compedibus tenere nisi in casu inobedientiæ, vt habetur in prima parte capite de voto obedientiæ paragrapho vltimo,& in aliis casibus contentis præsentibus Constitutionibus; Poterit tamen eis pro re graui vsque ad tres dies cellam sine claue iniungere, non per modum carceris, sed per modum solitudinis. Dum autem Superior alicui iusserit simpliciter, vt ad cellam recedat, termino exitus non expresso, vsque ad primum Communitatis actum intelligatur, nisi expressè ipse aliter iusserit.

§. 4.

Nullus nisi data sententia incarceretur etiam sub prætextu informandi, si tamen dubitaretur de crimine aliquo grauissimo, vel scandaloso, & fuga probabiliter timeretur. Prouincialis si adsit poterit Reum per modum custodiæ incarcerare pendente informatione litis, quem volumus intra octo dies fieri(si possibile est)& ad plus in re grauissima intra quindecim. Si autem in hoc casu Prouincialis absfuerit,& periculum sit in mora, Prior de consensu suorum vocalium habito per vota secreta poterit eum intra cellam claue claudere, quæ si tuta non crederetur, & de fuga valdè timeretur poterit etiam incarcerare, & statim Prouincialem per certum nuntium admonere,ita semper, vt illa custodia ad plus vltra quindecim dies non protrahatur, & qui ita in carcere, vel cella per modum custodiæ detinebitur cum omni charitate à Superiore tractetur.

§. 5.

Qui iussus cellam suam tenere recusauerit, vel postea clausuram cellæ sibi iniunctæ fregerit carceri mancipetur etiam à Priore, seu Superiore, per octo dies ieiunaturus feria sexta in pane, & aqua; qui verò è carcere aufugerit, ac postea captus fuerit pœnis grauioribus subiaceat; si verò per se vltrò redierit, cum eo mitius agatur.

§. 6.

Pro certiori autem custodia, & faciliori emendatione, qui in carcere, vel in cella claue clausi sunt, præcipimus per meritum salutaris obedientiæ, omnibus & singulis Religiosis nè fratres incarceratos, vel in cella de mandato Superiorum claue clausos sine eorundem Superiorum expressa licentia visitent, eisvè scribant, aut loquantur, vel quouis modo per se, vel per alios auxilium, consilium, fauorem, instrumentum, vel quod simile ad aufugiendum porrigant, vel porrigi procurent;& si quis hoc fecisse deprehensus fuerit, licet præterea inclusus non aufugerit, ipse per viginti dies carceris, pœnam sustineat in ieiunio quotidiano; si verò ex carcere euaserit, ad eadem vincula,& easdem pœnitentias tandiù condemnetur ad quas, & quovsque fugiens condemnatus fuerat. Idem iudicium fieri volumus de carceris custode à cuius malitia, vel negligentia incarceratum aufugisse constiterit: & huic etiam custodi strictè præcipimus per meritum salutaris obedientiæ nè incarceratis quidquam administret, præter sententiam, & intentionem Superioris qui eos per se, vel per alios aliquando visitare, & consolari poterit, pro vt melius in Domino

mino iudicauerit expedire.

§. 7.

Licet autem colloquentes cum iis quibus cellæ sine claue per modum tantum ſolitudinis & pœnitentiæ iniuncta eſt, ſupradicto præcepto ligare non ſit mentis noſtræ, tamen ſi quis eos alloqui in huiuſmodi cella deprehenſus fuerit eandem pœnam ſubire cogatur.

CAPVT X.

De pœna ſuſpenſionis, priuationis officij, vocis, & loci.

§. 1.

IN primis præſenti Conſtitutione declaramus, quod nullus eſt ſubjectus pœnis ſuſpenſionis, vel priuationis ab officio, voce, & loco etiam ipſo facto incurrendis, niſi ſuperuenerit in particulari ſententia, vel declaratio Superiorum quamuis notorium facti, vel iuris, aut etiam vtriuſque interueniat.

§. 2.

Vicarius generalis poterit quocumque tempore Prouinciales, & quoſcumque alios Superiores ab officiis ſuſpendere iuſtis de cauſis per quatuor menſes; & Prouinciales omnes ſubalternos per duos, poſt quos ceſſabit ſuſpenſio, quæ ſi vlterius protrahenda eſſet, Vicarius generalis

neralis consensu Assistentium indigebit, & Prouinciales Vicarij generalis; si autem priuatio facienda esset seruabuntur alibi dicta; In casu autem suspensionis prouidebunt suspendentes de eo qui tempore suspensionis officium exercere debet, & tunc ita substitutus post suspensum immediatè sedebit; pro suspensione verò, & priuatione officialium vocem non habentium in Capitulis prouincialibus, tum Vicarius generalis, tum Prouincialis alterius consensu non indigebunt, sed soli suspendere, vel priuare poterunt.

§. 3.

Qui per Superiorem ab officio suo actualiter suspensus vlterius se illi ingesserit ipso facto perdat omne ius illud vnquam recuperandi; si verò etiam actualiter, & iustè priuatus non acquieuerit ad omne officium cum cura animarum imposterum maneat inhabilis, donec per Capitulum Prouinciale cum eo fuerit dispensatum; suspensi autem semper vtraque voce carebunt donec ab iis ad quos de iure pertinet diffinitiua sententia interueniat.

§. 4.

Si quis eam culpam commiserit pro qua præsentibus statutis priuationem incurrere debuisset, ipse verò officium non habeat, vel iam antè propter aliquam culpam illo priuatus sit, iniungetur pœna æquiualens, Diffinitorium autem generale, vel Capitulum Prouinciale poterit per annum fratrem aliquem conuersum priuare Cappucio; si verò ex obedientia exiuerit è Conuentu Cappucium assumet, & cum Commissis tamen

men locum habeat.

§. 5.

Dum aliquis priuatus est voce passiua ad nulla omninò eligi possit officia quæ per secreta suffragia dari consueuerunt ; & dum aliquis priuatus est voce actiua , talis similiter suffragium ferre non possit , non solum in electionibus , verum etiam in rebus, & negotiis minoris momenti ; & ideo præcipimus , vt dum in Capitulo aliquid proponendum fuerit voce actiua priuati , cum cœteris vocem non habentibus egrediantur ; qui priuantur voce absolutè, & sine limitatione vtraque priuati censeantur.

§. 6.

Inhibemus autem nè quis voce priuari possit præterquam in Casibus per Constitutiones , aut Diffinitiones expressis , excepto Vicario generali, & Commissario generali deputato , & Prouinciali, priuatus officio suæ professionis locum assumet : suspensus verò loco gaudeat consueto; sigillum tamen officij sui resignare teneatur suo substituto sub pœna priuationis officij.

§. 7.

Priuatus loco si fuerit Sacerdos vltimum locum habeat inter Sacerdotes : Clericus inter Clericos professos, & sic de cœteris , nisi aliter hisce statutis aliquando notetur , vbicumque fratres fuerint Conuentualiter congregati : quod si frater loco priuatus alium quam vltimum , & sibi assignatum locum occupare præsumpserit , & monitus emendare se neglexerit , ex tunc ad recuperandum suum locũ sit inhabilis,donec Capitulũ generale, vel Prouinciale cum eo dispensauerit.

CAPVT

CAPVT XI.

De pœna percutientium.

§. 1.

FRater qui alteri siuè Religioso, siuè seculari irato animo percussionem comminatus fuerit pœna graui puniatur; si actualiter percusserit grauiori, si percussio fuerit grauis, & excedens, grauissimam pœnam subire cogatur, si interuenerit aliqua membrorum mutilatio, augeatur etiam pœna grauissima iuxta qualitatem mutilationis, vel personæ; si verò (quod Deus auertat) ex percussionibus huiusmodi mors subsecuta fuerit percutiens carceri perpetuò mancipetur cum ieiunio in pane, & aqua omnibus secundis, quartis, & sextis feriis, iuxta arbitrium Diffinitorij Capituli generalis, sine cuius expresso consensu inde extrahi non poterit.

§. 2.

Si quis secundò percusserit, præfata pœna duplicabitur percutienti, & carebit voce actiua, & passiua per sexennium; si tertio duplicabitur, & talis voce priuatus erit in perpetuum: si quis Superiorem suum percusserit subiacebit grauissimæ pœnæ, & similiter voce priuatus erit in perpetuum, quam etiam pœnam ad ipsius complices, & fautores extendimus.

§. 3.

Vt autem grauis percussionis amputetur occasio

ſio præcipimus per meritum ſalutaris obedientiæ nè quis cuiuſcumque gradus, & conditionis exiſtat arma pœnes ſe habeat aut ſecum ferat.

CAPVT XII.

De pœna infamantium.

§. 1.

QVia iubet ſcriptura, vt de bono nomine cura maximè habeatur, non tantum noſtram ſed aliorum famam maximè curare debemus, & ideo præter ea quæ dicta ſunt in prima parte capite ſeptimo, caueant fratres noſtræ Congregationis quicumque ſint né vlli omninò detrahant ſiuè ſæculari, ſiuè Religioſo, ſiuè Superiori, ſiuè inferiori. Quicumque autem de aliquo Prælato, Principe, Religioſo, aut ſeculari, Superiore, vel inferiore verba diffamatoria dixiſſe deprehenſus fuerit, ab eis ad quos pertinet irremiſſibiliter puniatur iuxta grauitatem perſonæ: præterea, ſi falſa, aut ſecreta dixerit famam reſtituere cogatur.

§. 2.

Si quis ex fratribus noſtris de vitio aliquo, vel crimine notabili fuerit diffamatus, & purgationem petierit, vt famam recuperet, vel vt puniatur: ſi defecerit, à Superioribus ipſi non denegetur.

§. 3.

Statuimus etiam, & ordinamus, ac omnes,

&

& singulos fratres nostræ Cõgregationis, primò, secundo, & tertio hortamur,& monemus, imo præcipimus per meritum salutaris obedientiæ,nè quis eorum per Rithmos,aut cãtilenas,aut quasuis schedulas, vel litteras, sine nomine, vel cognomine proprio, aut libellos, siuè descriptiones in quouis loco, etiam in parietibus designatis aliquem diffamare, vel conuitiis afficere audeat quouis modo; contrauenientes verò ex nunc proùt ex tunc excommunicationis vinculo innodamus.

CAPVT XIII.

De Apostatis & fugitiuis.

§. 1.

Licet considerata Apostàsiæ natura ille tantum Apostata iudicari debeat, qui suæ Religionis habitum temerè reliquit cum animo ad eam vltrò non reuertendi: tamen Consilium Tridentinum prohibendo statuit nè quis Regularis à suo Conuentu recedere, etiam pretextu ad Superiores accedendi, nisi ab eis missus, vel vocatus fuerit, & insuper statuit vt si quis Regularis sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab ordinariis locorum tanquam instituti sui desertor puniatur.

§. 2.

Nos verò vt hoc inconueniens euitetur, & nullus sine Superiorum obedientia è Conuentu

discedere

discedere præsumat, præter ea quæ dicta sunt in prima parte Capite sexto, & in secunda parte, capite secundo, vbi huiusmodi fugitiuos, & apostatas excommunicatos esse diximus, statuimus præterea vt si aliquis frater à suo Priore licentiam petierit Vicarium generalem, vel Prouincialem adeundi, ei non concedatur, iuuetur tamen, vt ad eum scribere, eique rationes suas per litteras aperire possit, quod si tunc vocatus fuerit à Vicario generali, vel Prouinciali, tenebitur Prior eum licentiare & non aliter: Quod si Prouincialis, aut Prior litteras Vicarij generalis in vexatione fratris retardauerit ab officio indispensabiliter priuetur; quicumque autem à Congregatione nostra imposterum aufugerit, & apostatauerit post reditum maneat inhabilis ad omnia officia cum cura animarum, & Clerici ad sacros ordines non mittantur, donec cum eis per Diffinitorium Capituli generalis dispensatum fuerit.

§. 3.

Dum autem Apostata pœnitentia ductus, vel aliqua via compulsus ad Congregationem redierit, hoc modo recipiatur, primò carceri mancipetur deinde prima die in qua Capitulum fieri debet si venerit in habitu sæculari eo exuatur antequam ingrediatur Capitulum & indutus cuculla apta ad recipiendam disciplinam, prostratusque ad pedes Prioris humiliter culpam suam dicet, erigensque se in genua iussu Prioris ab eo charitatiuè reprehendatur, & confortetur, deinde exigat iuramentum ab eo de seruandis mandatis Ecclesiæ, quo præstito iniungatur ei quod de

cœtero talia non committat, tunc Reus vapuletur à Priore, deinde à fratribus medianté psalmo *Miserere mei Deus*, qui recitabitur alternatim per choros; Postea Prior surgat dicens *Pater noster, &c. & ne nos, &c. ℣. saluum fac seruum tuum, &c. esto ei Domine turris fortitudinis, &c. nihil proficiat inimicus in eo, &c. Domine exaudi, &c. Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus cui proprium est misereri semper, & parcere suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum tua miseratione compunctum, quem sententia excommunicationis ligat, miseratio tua pietatis clementer absoluat, &c.*

§. 4.

Deinde eum absoluens dicat, *Dominus noster Iesus Christus, qui beato Petro Apostolo collatis clauibus regni cœlorum ligandi, atque soluendi potestatem tradidit absoluat te, & ego eius anthoritate in hac parte mihi concessa in quantum possum, debeo, & valeo, te absoluo à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti quod incurristi propter Apostasiam, & retrocessionem.*

§. 5.

Deinde imponat ei Capucium, & surgens dicat. *Dominus vobiscum, &c. Oremus. Deus misericors, & Clemens, sine quo nihil inchoatur, & nihil boni perficitur, adduc nostris humilitatis pracibus tua pietatis aures, & hunc famulum tuum qui perierat, & inuentus est, quem in tuo sancto nomine ad sacra nostra Religionis gremium reuertentem recipimus ab omnibus tentationibus defende, & concede ei, vt in hoc sancto proposito, & prima sua vocatione deuotus persistere, & remissione peccato-*

rum

rum percepta ad electorum tuorum consortium peruenire valeat. per Christum Dominum nostrum. Amen. eadem forma obseruabitur si ab alia quacumque excommunicatione aliquis fuerit publicè absoluendus.

§. 6.

Apostatæ qui infrà mensem ab Apostasia redierint à Superiore locali absoluantur; si vltrà mensem in Apostasia steterint, absolutio ad Prouincialem pertineat: Si vltrà quatuor menses ad Vicarium generalem: Absolutus ab Apostasia pro prima vice carceri mancipetur per viginti dies, & voce per annum careat, qui verò etiam habitum dimiserit; aut cum scandalo magno sæcularium apostatauerit per quadraginta dies in carcere pœnitebit, poterit tamen si talis maximè vltrò ad Congregationem reuersus fuerit, Vicarius generalis vel Capitulum Prouinciale propter magnam illius contritionem, & compunctionem cum eo super prædicta dispensare, vel ea cum alia pœnitentia commutare, sicut charitas, & maius bonum delinquentis videbitur expostulare; ea tamen conditione quod tempus quo in Apostasia steterit ei non proderit ad antiquitatem loci.

§. 7.

Qui secundò Apostatauerit, vel in prima Apostasia vltrà annum steterit per sex menses carcerem sustinebit; & voce carebit per biennium, exinde locum suæ professionis amittat, incipiendo solum à die sui reditus ab Apostasia.

§. 8.

Qui tertiò Apostatauerit pœnæ grauissimæ præter prædicta sine vlla dispensatione subiaceat,

& in perpetuum inhabilis remaneat ad omnia officia cum cura animarum, qui pluries quam ter Apoſtatauerit, aut carceri perpetuò tradatur, vel ex Congregatione noſtra tamquam incorrigibilis expellatur ſeruata Bulla, ſeu decreto Sanctiſſimi Domini noſtri Vrbani octaui.

Qui verò non à Congregatione Apoſtatauerit, ſed habitu retento, & animo non retrocedendi, & tramite recto vel ad Superiorem, vel ad alium Conuentum Congregationis fugerit, ſcapulis tantum nudatis diſciplinam vt ſupra patietur & voce carebit per annum; quod ſi ille frater Conuerſus fuerit, paſſus vt ſupra diſciplinam Cappucio priuabitur quanto tempore Vicario generali vel Diffinitorio viſum fuerit.

CAPVT XIV.

De incorrigibilitate.

§. 1.

INcorrigibilis ille iudicandus eſt qui grauiores, vel grauiſſimas culpas non veretur ſæpius committere, & pœnas recuſat ferre, vel de cuius emendatione in materia graui non reſtat ſpes aliqua, ſcilicet multis remediis, atque pœnitentiis iam adhibitis nihilominus nec mutatio morum, neque eius voluntas efficax apparet; tunc nè peſtifera ſua contagione plurimos perdat in aliquo Capitulo generali eiicietur ex noſtra

Con

Congregatione, & habitu Religionis priuabitur additis etiam antea si opus est aliis pœnis, vt potè suspensionis, & interdicti, sacrum celebrandi concionandi, & similibus. Antequam autem expulsionis huiusmodi pœna infligatur iuxta decreta sacræ Congregationis Consilij Sanctissimi Domini nostri Vrbani Papæ octaui iussu edita per annum in carcere teneatur, vbi ieiuniis, & aliis pœnitentiis ad resipiscentiam, & emendationem vitæ reuocari possit. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit nè contagione pestifera plurimos perdat tamquam morbida pecus, ac membrum putrè eiici tandem possit, asseruato illius processu in Archiuio Congregationis.

CAPVT VLT.

De censura excommunicationis.

§. 1.

EXcommunicatio est gladius quo secatur membrum putre aliquod à Corpore mystico Ecclesiæ, & communione fidelium, & ideo non nisi necessitate maxima vrgente, & in scriptis trina Canonica monitione præmissa inferatur: quis autem possit eam inferre videtur in Capitibus quibus agitur de authoritate cuiuslibet Superioris.

§. 2.

Omnis autem excommunicatus excommunicatione maiori qualis eſt ea quæ præſentibus ſtatutis infertur, ab omnibus euitetur, eique ad Eccleſiam, Refectorium, Capitulum, & alia loca publica præcludatur aditus, nec ad vllas electiones & comitia admittatur.

§. 3.

Ab hac autem excommunicationis ſententia abſoluere nemo poſſit, qui ad hoc non habeat iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam. Ab excommunicationibus verò per præſentes Conſtitutiones, aut per Capitula latis, Priores locales abſoluere & abſolui poterunt, niſi ſpecialiter talis abſolutio alicui Superiori per ſtatuta, aut Capitula reſeruetur: à ſententia verò excommunicationis in aliquos nominatim, & ſpecialiter lata, in ſpeciali aliquo caſu, vel pro illa ſola vice, & cauſa promulgata, nullus poſſit abſoluere niſi inferens, aut Superior inferentis ſententiam, vel alius Superior de ipſorum commiſſione, & mandato.

§. 4.

Quæ autem virtute præſentium ſtatutorum omnibus, & ſingulis noſtræ Congregationis fratribus præcipimus ſub pœna excommunicationis; peculiariter exponuntur capitibus quibus tractatur de materia in quam incidit cenſura.

§. 5.

Quamuis autem præfatas pœnas, & alias aliis partibus mixtim expreſſas ad Congregationis manutentionem iniunximus. Præcamur tamen fratres omnes, & hortamur in Domino, vt tan

tanquam veri Religiosi obedientes non formidine pœnæ, sed Dei, & virtutis amore quæcumque præsentibus Constitutionibus, mãdata sunt, punctim obseruare conentur; imò, & maiora, quatenus iuuante Christo, & fauente Maria perfectionem Euangelicam viuendo attingere; & Sanctorum gloriam moriendo obtinere mereantur. Amen.

Cùm autem sicut eadem petitio subiungebat dicta congregatio, plurimum cupiat Constitutiones, & statuta præinserta pro illorum firmiore subsistentia, & obseruatione inuiolabili nostro, & sedis Apostolicæ munimine roborari. Nobis propterea pro parte dicti Hyacinthi fuit humiliter supplicatum, quatenus Constitutionibus, & statutis præfatis robur Apostolicæ Confirmationis adiicere, ac alias in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui vt Ecclesiasticus ordo regulari obseruantia vitæ Sanctimonia, & virtutum claritate nostris potissimum temporibus adeo præfulgeat, vt cum Christi fideles sæculares eorum exemplari vita illuminati, per viam salutis in hoc sæculo gradientes ad cœlestia regna mereantur peruenire; supremis exoptamus affectibus eundem Hyacinthum, & dictæ Congregationis singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes; huiusmodi sup-

plicationibus inclinati, ex voto Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis Episcoporum, & regularium Præpositorum, cui Constitutiones, & statuta supradicta examinanda commiseramus: statuta, Constitutiones, ordinationes, Decreta, & Capitula præinserta nouissimè, vt præfertur edita, & condita præuia antiquorum statutorum, ac omnium, & singulorum contentorum in eisdem, & litteris Apostolicis præfatis die scilicet vigesima prima Iulij anni millesimi sexcentesimi vigesimi octaui apud Sanctam Mariam Maiorem, & die vigesima octaua Martij anni millesimi sexcentesimi trigesimi quinti, aliisque omnibus, & singulis si quæ sint præinsertis contrariorum; cæteris in suo robore permansuris, rescisione, & abrogatione Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adiicimus, omnesque, & singulos tam iuris quam facti, & solemnitatum, ac alios quantumuis substantiales defectus si qui forsan in eisdem statutis quomodolibet interuenerint in eisdem supplemus, illaque semper, & perpetuò valida, & efficacia fore, & esse, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab eiusdem Regularis Congregationis fratribus Vicario generali, aliisque Superioribus, ac eiusdem singulis Religiosis etiam si ab eorum professione aliqua ex primis statutis immutata, aut ad strictiorem vitæ obseruantiam redacta sint, omnibusque aliis, & singulis quorum interest, intererit,

aut

aut interesse poterit quomodolibet in futurum, sub pœnis in eis contentis ad vnguem obseruari, & adimpleri debere, & super illorum, omniumque & singulorum in eis contentorum obseruatione à quoquam quauis authoritate fungente, quouis prætextu, occasione, vel causa molestari, inquietari seu quoquomodo perturbari nequaquam posse, nec ab illis vllo vnquam tempore quouis prætextu, aut alia quauis causa, quantumuis iuridica recedi, seu resiliri posse. Imò fratres dictæ Regularis Congregationis ad plenariam eorundem Constitutionum obseruantiam cogi, & compelli posse, sub pœnis, & censuris Ecclesiasticis, aliisque in Constitutionibus prædictis contentis pœnis, ipsaque inconsulta sede Apostolica nunquam abrogari, vel rescindi, minusque illis per quoscumque Romanos Pontifices, aut eiusdem sedis, etiam de latere legatos, & nuncios, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, déque Apostolicæ potestatis plenitudine, seu cuiusuis intuitu, & contemplatione derogari, nec derogatum censeri posse, nec debere, nisi in litteris desuper conficiendis de Capitulo, & paragrapho cui derogabitur, ac datæ earumdem præsentium specialis specifica, & expressa mentio facta sit, & aliter factas derogationes, & inde secuta quæcumque nulla, & inualida, nulliusque roboris, vel momenti fore, & esse. ac pro nullis haberi, & censeri debere authoritate præfata decernimus. Præterea nè quis in Galliis habitum in materia, & forma similem ita vt ex præfatis fratribus discalceatis existimari possit, nisi præfatæ Regularis Congregationis

membrum actualiter existat gestare, siuè nomen Discalceatorum reformatorum Sancti Augustini sibi arrogare, aut prædictam Congregationē esse ordinis Eremitarum Sancti Augustini, verbo, vel scripto temerè negare audeat; seu præsumat sub excommunicationis pœna authoritate eadem interdicimus, & prohibemus. Deniquè quod ipsi fratres Imagines Sanctorum Augustini, Nicolai de Tolentino, & aliorum eiusdem ordinis in habitu reformationis Discalceatorum ad decorem; & vsum in Ecclesiis, Claustris, aut alibi decenter honestè, ac piè depictas, aut impressas conseruare, ac imposterum imprimere, & depingere Religiosè secundum Ecclesiæ, & aliorum ordinum Reformatorum laudabilem cōsuetudinem libere, & licitè valeant licentiam, & facultatem dicta authoritate impartimur. Decernentes easdem præsentes de subreptionis, vel obreptionis, siuè nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, inualidari, seu in ius, vel controuersiam reuocari, aut aliàs quomodolibet infringi, siuè retractari, suspendi, limitari, seu aliàs in contrarium disponi, statui, vel ordinari nunquam posse, sed illas, ac omnia & singula in eis contenta quæcumque semper, & in perpetuum valida, firma, & efficacia existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicquè & non aliter per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos quauis authoritate fungentes etiam causarum Palatij nostri Apostolici auditores ac eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, & dictæ se-

dis

dis nuntios iudicari, & definiri debere; nec non irritum, & inane quidquid secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nonobstantibus litteris nostris prædictis quæ incipiunt. Ex iniuncti nobis Apostolici muneris debito sacrarum Religionum in Ecclesiá Dei piè, Sanctèque institutarum prosperum statum, fœlicemque directionem sinceris desiderantes affectibus, his quæ propterea prouidè facta fuisse dicuntur, vt firma perpetuò, & illibata persistant libenter cum a nobis petitur Apostolici muniminis adiicimus firmitatē, aliasque desuper eiusdem muneris partes interponimus, &c. prout in dictis litteris plenius continetur sub datum videlicet Romæ. Apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die vigesima prima Iulij millesimi sexentesimi vigesimi octaui, Pontificatus nostri. Anno quinto, illis etiam iteratis vicibus, innouatis, approbatis, & confirmatis, aliisque præmissis, ac quibusuis aliis nostris Apostolicis, necnon in Synodalibus, Prouincialibusque, & vniuersalibus consiliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, atque Regularis Congregationis, & ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque indultis, & litteris Apostolicis illis, & ordinis huiusmodi Priori generali dictæque Congregationis Regularis Vicario generali, aliisque illius Superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis in genere, vel specie, aut alias quomodolibet etiam per viam

con

concordiæ inter prædictum Priorem generalem, & Congregationem huiuſmodi conceſſis approbatis confirmatis,& innouatis.Quibus omnibus, & ſingulis etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret,tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil pœnitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro plenè,& ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe plenitudinis poteſtate derogamus: cœteriſque contrariis quibuſcumque. Quocirca veneralibus fratribus Archiepiſcopis, & epiſcopis, ſiuè dilectis filiis eorum officialibus, ac aliis quibuſuis locorum ordinariis per Gallias vniuerſas ſub quorum dioceſeſibus domus Regulares Congregationis huiuſmodi ſitæ extiterint per præſentes committimus, & mandamus; quatenus quilibet eorum in ſua dioceſi vbi domus regulares huiuſmodi fuerint per ſe, vel alium, ſeu alios preſentes noſtras litteras, ac præinſerta, & in eis contenta quæcumque vbi quando opus fuerit videlicet quoties pro parte Vicarij generalis Procuratorum, & Aſſiſtentium generalium Congregationis huiuſmodi, ſeu alicuius ex eis, aut alterius eiuſdem Congregatione per Diffinitorium generale electi, & deputati, fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in premiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant dicta authoritate noſtra

nostra præmissa omnia ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit firmiter, & inuiolabiliter obseruari, & adimpleri, non permittentes illos desuper à quoquam quauis authoritate quomodolibet indebitè molestari perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus, seruata forma Consilij Tridentini declarandi, aggrauandi, & reagrauandi inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis, Volumus autem vt præsentium transumptis etiam impressis, seu typis excussis, manu alicuius Notatij publici subctiptis, & sigillo Procuratoris, aut Vicarij Generalis dictæ Congregationis, seu personæ in dignitate Eeclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ: Datum Romæ. Apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo piscatoris. Die decima nona Augusti, Millesimo sexcentesimo quadragesimo primo Pontificatus nostri decimo nono.

Fantinus Rentius.

Loco ✝ annuli Piscatoris.

N. Raynerius.

Extractum

Extractum exemplum cum proprio suo Originali collatum per me Petrum Dechuyes Regia & Apostolica authoritate Notarium publicum Lugduni subsignatum, die prima mensis Augusti, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo. Sic signatum *Dechuyes.*

Supradictum exemplum à suo proprio originali de verbo ad verbum extractum, cumque ipso collatum Nos infra scripti, propriis nostris Chirographis omnibus illud lecturis fidem facimus, atque testamur. Lugduni in Conuentu nostro Sancti Dionisij die quarta Augusti anno sexcentesimo quadragesimo secundo supra millesimum.

F. Gelasius à nomire Jesu fratrum Eremitarum discalceatorum Sancti Augustini per uniuersas Gallias Vicarius generalis.


F. Martialis à sancta Francisca Prouinciæ Delphinatus Prouincialis.

F. Hieronimus à sancta Paula Procurator generalis, in Curia Franciæ.

F. Stephanus à sancta Catharina Assistens generalis, pro Prouincia Prouinciæ.

F. Seraphinus à sancta Maria pro Prouincia Delphinatus Assistens generalis.

INDEX



INDEX OMNIUM CAPITULORUM PRÆCEDENTIUM.

EX PRIMA PARTE.

EX

EX SECVNDA PARTE.

EX TERTIA PARTE.

De

EX QVARTA PARTE.

FINIS.



BVLLA S. D. N. D. PII, DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ IV.

Super forma iuramenti professionis fidei.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

INIVNCTVM nobis Apostolicæ seruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus omnipotens, ad prouidam Ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis diuinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem & gloriam incunctanter exequi properemus. Cùm itaque iuxta Concilij Trident. dispositionem omnes, quos deinceps Cathedralibus & superioribus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Cononicatibus, & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, curam animarum habentibus, prouideri continget, publicam Orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere & iurare teneantur: Nos volentes, etiam per quoscumque quibus de Monasteriis, conuentibus, domibus, & aliis quibuscumque locis, Regularium quorumcumque Ordinum, etiam militiarum, quocumque nomine, vel titulo prouidebitur, idem seruari, & ad hoc, vt vnius eiusdem fidei professio vniformiter ab om-

nibus exibeatur, vnicàque & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam publicari, & vbique gentium per eos ad quos ex Decretis ipsius Consilij, & alios prædictos spectat, recipi & obseruari, ac sub pœnis per Consilium ipsum in contrauenientes, latis, iuxta hanc & non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus, huiusmodi sub tenore. *Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur videlicet: Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, Passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundùm scripturas: & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam*

&

& Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissimè admitto & ampector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturam, admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum patrum accipiam & interpretabor. Profiteor quoque, septem esse verè & proprie Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria. scilicet Baptismum Confirmationem, Eucharistiam, pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse, Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio & admitto. Omnia & singula quæ de peccato originali & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo diffinita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium sacrificium, pro viuis & defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in Corpus; & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam con-

uersionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi, Constanter teneo Purgatorium esse, Animásque ibi detentas fidelium suffragiis iuuari. Similiter & Sanctos vnà cum Christo regnantes, venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deipara semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas & retinendas esse, atque eis debitum bonorem ac venerationem impartiendam Indulgentiarũ etiam potestatem àChristo in Ecclesia relictam fuisse illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco, Romanòque Pontifici, beati Petri, Apostolorum Principis, successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro. Catera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis ac pracipuè à sacro sancta Tridentina Synodo tradita difinita & declarata indubitanter recipio atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hareses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas & anathematizatas. Ego pariter damno, reiicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest quam in prasenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram & inuiolatam, vsque ad extremum vita Spiritum, Constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri doceri,

doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro, Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Volumus autem quod præsentes litteræ, in Cancellaria nostra Apostolica, de more legantur: & vt omnibus faciliùs pateant, in eius Quinterno describantur, ac etiam imprimantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & mandati infringere; vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ, apud sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ Millesimo Quingentesimo Sexagesimoquarto, Idibus Nouembris, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Fe. Cardinalis Cæsius.

Ca. Glorierius.



DECRETVM FEL. REC. CLEMENTIS PAPÆ OCTAVI, ſuper caſuum reſeruatione ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandum.

SAnctiſſimus Dominus noſter, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipſa comperit, quod reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à peccatis quibuſdam grauioribus, niſi Superioribus admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem; Ideo, vt huic malo Sanctitas Sua opportunè proſpiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis iis, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquod, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eo peruenerit, vt extra cepta Monaſterij, ſeu Conuentus fiat egreſſio. Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeu Conuentu egreſſio etiam non animo apoſtatandi facta.

Pro

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.

Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.

Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.

Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ.

Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliquid præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura diſcutione, & conſenſu.

Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſemet ſubditus ſpontè, ac proprio motu id ab iis petierit.

Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres aut plures Confeſſarios, pro ſubditorum numero maiori, vel minori, iique ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſer-

uatorum àbſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.

Tàm Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quàm de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis à Confeſſariis imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſſint.

Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores; quicumque illi ſint, obſeruari mandauit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; ac cuiuſuis Conſilij, & etiam generalis Decretis; necnon conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore obſeruatis, aut Regulis in generalibus, ſeu prouincialibus Capitulis editis, ſtatutis, & Conſtitutionibus etiam Apoſtolica authoritate confirmatis; priuilegiis, indultis, & conceſſionibus quorumcumque, quorum tenores hîc pro expreſſis haberi voluit, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum die 26. menſis Maij, anno Domini 1593.

Sanctitas ſua deinceps declarauit & declarat, vt ſi huiuſmodi Regularium Confeſſariis caſus alicuius reſeruati facultatem

per

petentibus superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta à superiore facultate absoluere.



BVLLA CLEMENTIS VIII.

Quæ legi debet ante quascumque electiones.

SVMMARIVM.

Recurrentes ad fauores seculares priuantur voce actiua & paßiua: superiores fauorum intuitu gratias concedentes sunt excommunicati.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. QVoniam nemo debet sibi assumere honorem, nisi vocatus à Deo tamquam Aaron, & à regularis vitæ instituto valde alienum est, vt Religiosi viri, quos honorum, & dignitatum gradus, sanctitate vitæ, ac aliis religiosis virtutibus potius promereri, quam appetere, eosque gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter suscipere, susceptósque humiliter administrare decet, mendicatis (secularium præsertim personarum) studiis, ad eos sibi aditum patefacere contendant, vnde magna in Ecclesia

 Dei

Dei pernicies adferri ſolet. Nos qui pro noſtri muneris debito, in hoc potiſſimum laborare non deſiſtimus, vt Eccleſiaſtica regularíſque diſciplina priſtino candori reſtituatur, huic malo oportunum remedium adhibendum cenſuimus.

§. 2. Cum itaque (ſicut accepimus) quidam in ordine Eremitarum S. Auguſtini, profeſſionis, & regulæ, quam profeſſi ſunt, penitus immemores, nimiaque dignitatum, & Officiorum Eccleſiaſticorum in dicta Religione conſequendorum ambitione ducti, pro iis conſequendis Eccleſiaſticorũ, & Secularium Principum ſtudia requirant, & à S.R.E. Cardinalibus, aliiſque Prælatis commendatitias litteras, alióſque fauores, & gratias propterea expetant: quibus adiuti, quos ipſi ex ſe promeruiſſe minime confidunt, gradus, & dignitates in eadem Religione conſequi valeant; ſicque eiuſdem Religionis quietem, non ſine animarum ſuarum periculo, perturbant.

§. 3. Nos malum hoc ab eodem Ordine, & Religione, cuius proſperum regimen, & incremenrum, ad Eccleſiæ ſanctæ vtilitatem, ſynceris exoptamus affectibus, pro noſtra paſtorali ſolicitudine propellere ſummopere cupientes; motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eos omnes, & ſingulos fratres dicti Ordinis, & Religionis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, conditionis, præeminentiæ, qualitatis, & dignitatis exiſtentes, qui de cetero ad prælaturas, gradus, honores, dignitates, adminiſtrationes, functiones, & alia officia dicti Ordinis, & Religionis aſſequenda intenti, ad Principum & Prælatorum, ac aliarum quarumcumque perſonarum tam Eccleſiaſticarum, quam Secularium, de gremio dictæ Religionis non exiſtentium,
etiam

etiam Cardinalatus honore , ac quacumque ſeculari dignitate, & excellentia, etiam Imperiali, Regali , & Ducali fulgentium , fauores recurrerint , vel etiam pactis, pollicitationibus, aliiſque viis directe, vel indirecte, palam , vel occulte , ad prælaturas , gradus, honores , dignitates , adminiſtrationes , functiones, & alia prædicta obtinenda aſpirauerint , vel aliis minus legitimis , & honeſtis rationibus ea obtinere quæſiuerint , aut etiam ſponte oblatis , & minime conquiſitis vſi fuerint, illorumque complices,& fautores , ad quaſcumque Prælaturas , dignitates & officia , graduſque , honores , adminiſtrationes , & munera in ipſa Religione obtinenda, perpetuo inhabites declaramus , ac obtentis per eos prælaturis , gradibus , honoribus, dignitatibus , adminiſtrationibus, functionibus , & officiis huiuſmodi eo ipſo priuamus , ac priuatos , voce tam actiua , quam paſſiua carere decernimus, & declaramus,

§. 4. Atque in virtute ſanctæ obedientiæ , ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus dicti Ordinis , & Religionis fratribus , ſuperioribúſque & Prælatis, quocumque titulo nuncupatis,etiam Priori generali, præſentibus , & futuris præcipimus, diſtrictéque mandamus, ne quempiam vllo tempore, precibus , literis, vel fauoribus adducti , vel alias ad inſtantiam, ſeu requiſitionem, vel contemplationem Principum , vel Prælatorum , aut aliorum quorumcumque tam ſecularium , quam eccleſiaſticorum extradictum gremium exiſtentium,etiam Cardinalium, Imperatoris , Regum , Ducum , ad cuiuſuis generis prælaturas, gradus, honores, dignitates , adminiſtrationes , functiones , & officia prædictæ Religionis promouere, vel pœnas aliquas remittere audeant,vel præſumant. Decernentes, electiones, & promotiones

ad Monasteria, seu Prioratus, vel officia dicti Ordinis, & Religionis contra præsentium dispositionem (quod absit) quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas, nullas prorsus, inualidasque fore, & esse, nullisque iuribus subsistere.

§. 5. Ac omnes & singulos in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrere, & ad illas sententias, & pœnas præmissas damnabiliter incurrisse legitime probandum, & omnino conueniendum, solas præmissarum personarum instantias, preces, & fauores, etiam oretenus porrectas, plenam, indubiam, & sufficientem in iudicio, & extra fidem facere, nec ad id probationis alterius adminiculum requiri. Et ita per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis authoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S.R.E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus quibusuis Apostolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis & Religionis huiusmodi iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium quomodolibet, concessis, approbatis, & innouatis: Quibus omnibus eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, &

expresse

expresse derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si prædictis fratribus, vel quibusvis aliis communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 7 Vt autem harum litterarum notitia ad omnes dicti Ordinis Eremitarum fratres facilius deueniat, volumus, illas etiam in Capitulis Prouincialibus, seu Cõgregationibus, & postea in Capitulo Generali publico legi, illásque in dictis Capitulis Prouincialibus, seu Cõgregationibus, & Capitulo Generali lectas sic arctare, ac si legitime vnicuique intimatæ fuissent, illarumque exemplis etiam impressis manu scribæ dicti Capituli, vel Notarij publici subscriptis, & sigillo Prioris generalis ipsius Religionis, vel alterius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ obsignatis, eandem prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si eædem exhiberentur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die prima Decembris, millesimo sexcentesimo quarto, Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Ex Bullario Ordinis Romæ impresso, Constitutione 6. Clementis VIII. pag. 82. col. 2. cum quo concordat Fr. Augustinus à sancta Margareta Vic. Generalis Fratrum Eremitarum Discalceatorum Ordinis S. Augustini Congregationis Galliarum.

Fr. Pacificus à Domina nostra secretarius Congregationis.



INDEX EORVM OMNIVM

Quæ in Conſtitutionibus continentur.

A

Apoſtata

Ad

Cella

Corrigiæ

Diffini

In

ante

F

G

H

I

L

N

P

Prouin

Q

R

non

Vestes

FINIS.

petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere.

***

FINIS.

ERRA

ERRATA.

Pagina 4. *linea* 26. aliqam *lege* aliqua. *p.6.l.*10.& figantur in nullam, *l.*figantur in nulla. *p.*8.*l.*12. non innotefcere, *l.*innotefcere. *p.9.l.*20. fratrem, *l.*frater. *p.*10.l.18. præbeantur, *l.*præbeatur. *p.*10.*l.*19.collatum,*l.*collatam. *p.*11.*l.*2.fiue, *l.*fine. *p.*13.*l.6.*quanto, *l.*quanta. *p.*16.*l.*15. applica, *l.*Apoftolica. *p.*20.*l.*14. ignorantes, *l.*ignoranter. *p.*26.*l.*10.tringinta, *l.*triginta. *p.*27.*l.*10. inter filentium, *l.*inter fe filentium. *p.*28.*l.*26. aliquod, *l.*aliquid. *p.*32. *l.* 20. Græce Hebraice, *l.*Græcæ Hebraïcæ. *p.*34. & 38. *l.*19.& 12. vingenti, *l.*viginti. *p.*44.91. & 152. *l.*16.17. & 2.aduertat, *l.*auertat. *p.*45.*l.*4.praeffe, *l.*præeffe. *p.*46. *l.*33. committantur, *l.*comitantur. *p.*47.*l.*21. terra, *l.*tertia. *p.*51. *l.*5.expleuerit, *l.*expleuerint. *p.*59. *l.*14.ea, opportune, *l.*eas,opportunæ. *p.*72. *l.*15. conuentum, *l.*conuentuum, *p.*73.*l.*13.cum, *l.*aut. *p.*76.*l.*5.fupendatur, *l.*fufpendatur. *p.*77.*l.*30.cacemanta, *l.*calceamenta. *p.*80.*l.*24. linneum, *l.*lineum. *p.*81.*l.*4.inferrori, *l.*inferiori. *p.*86.*l.*5. priuetur, *l.*priuentur. *p.*88.*l.*16.ecclefis, *l.*Ecclefiis, *p.*91. *l.*2.offenfum, *l.*offenfus. *p.*14.& 21.reficiantur, admiffis, *l.*reficiatur, admiffi. *p.*114. *l.*23. quod iterum, *l.* quod fi iterum. *p.*120.*l.*25. fimilla, *l.*fimilia. *p.*147.*l.*2.argenti, *l.*vrgenti. *p.*149.*l.*5.fenen, *l.*fenem. *ibid.l.*21. eiufdem fe, eiufdem Congregationis. *ibid.l.*22.illis immifceant, *l.*illis fe immifceant. *p.*208.*l.*8.tranctantur, *l.*tractantur. *p.*210. *l.*27.probare.*l.*probari. *p.*211.*l.*8.cætera, *l.*cæteras.